VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
2 A
20

F 350

C. 2
5. G
Q. 8
N. 21.

14-2-c-25

Miniſter Statûs

Seu

CONSIDERATIONES POLITICÆ

ſuper VITA

NICOLAI NEOVILLI

VILLA-REGII

Quinq; Regum Chriſtianiſſimorum Conſiliarii & Miniſtri

Statûs primarii,

Scriptæ

à PETRO MATTHÆO,

HENRICI IV. REGIS GALLIARUM HISTORICO,

nunc

in Latinum ſermonem traductæ

à

JOACHIMO PASTORIO ab Hirtenberg.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ

Sumptibus ZACHARIÆ HERTELII, Bibliopolæ Hamburg.

Typis, JOHANNIS NISII, M.DC.LXIV. 2

Ad Regem Chriſtianiſsimum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOMINE,

OFfero Majeſtati Veſtræ parietinas excellentis ædificii: unde multa egregia depromi poterunt, & ad novas id genus ſtructuras exornandas, apprimè utilia: Obſervationes nimirùm, petitas ex modo miniſterii ac regiminis, quem primorum Statûs Conſiliariorum vetuſtisſimus, ſex & quinquaginta an̄is continuis, in gravisſimis Regni hujus negotiis, tenuit. Illi, qui tam

meritis, quàm honoribus al
enis ſuccedere glorioſu
putant, iſto exemplo, loc
lampadis, à Veritate, primi
geniâ lucis filiâ, accenſæ uten
tur. Quam ſi citra privat
ſtimulationis intervētum ſe
quentur, bonis Majeſtati
V. ræmoliminibus recta con
ſilia, & deſideriis glorio-
ſi effectus nunquam
deerunt.

)E NICOLAO IEOVILLO VILLA-Regio elogium ex Continuatore Thuani lib. X.

DUrante hoc convētu, Villa-Regius è vivis exceſsit, na-us annos LXXIV. Magnus qui-am Vir obitum ipſius propterea eplorandum dicebat, quod ea, uæ ſciebat, nullis libris conſcripta xtarent. Creatus fuit Regni ecretari⁹ à Carolo IX. Anno clɔ.). LXVI. Totis quinquaginta ribus annis nullum de pace, fæ-eribus, matrimoniis, & Princi-atibus regno agglutinandis ne-otium tractatum fuit, cui non nterfuerit, & in quo ſuam indu-

 ſtri-

*ſtriam ac dexteritatem noſtris Re-
gibus, quibus inſervivit, ſumma
cum laude probarit. Rex defun-
ctus Henricus Magnus, de ipſo
dicere ſolebat, omnia regni nego-
tia in Villa-Regium recumbere:
& eum quamvis aſsiduis labori-
bus occupatum, bene agendo nun-
quam defatigari. Anno cIↄ IↄcV,
cum intellexiſſet, ipſum decumbe-
re;* Sanè, *inquit*, neſcio, utrum
pluris ad regni incolumitatem
interſit, me, an Villa-Re-
gium ſuperſtitem
eſſe.

De eodem Gabriel Bartholomeus Gramondus in ſacro Regis Conſiſtorio Senator & in Parlamento Toloſano Præſes, lib. 3. Hiſtoriæ Gall.

Fine anni exceßit Villaræus, Vir magni nominis. Illi ſeptuaginta & novem anni ſpatium vivendi, quâ etiamnum ætate, rebus haud impar erat regendis: curſu honorum inoffenſo quatuor Reges emenſus, magnâ laude procuravit res Galliæ, vita & moribus innocens, ſagax, & quâ maximè doctrinâ valuit, arcanorum Imperii ſummè peritus. Tenues illi opes pro longa adminiſtratione, quo patuit res Gallicas procurâſſe ipsũ magis, quàm ſuas, quod rarum in Aula, eoque magis laudabile.

De eodem Petrus Matthæus, Hiſt. Henrici IV. Regis Gall. lib. 7.

LE Cabinet de ce Seigneur (Ville Roy) eſt en France ce qu'eſtoit Epheſe en la Grece: c'eſt le primier ciel, qui emporte toutes les autres ſpheres de cet Eſtat. La naiſſent les deſſeins, la ſe forment les executions, la eſt le tableau de tout ce, qui ſe paſſe par tout le monde, ſeul il ſcait les affaires de France, a la cognoisſance des plus ſecrettes, la conduite des plus grandes. La primiere Loy de ceux, qui entrẽt en ſon ſervice (& il n'y entre perſonne qui ne ſoit bien cogneu & eſprouvè, les primiers ſerviteurs du Roy reputans al' honneur de mettre leurs enfans en cette Academie des affai-

affaires d'Eſtat) eſt le ſecret & la fidelitè. Ceux qui tiendront pluſtoſt un charbon ardant en leur bouche, qu'un mot ou quelque novelle: qui uſent plus leur langue à parler, que leur oreille à eſcouter, n'y ſont pas bien ven⁹, parce que les plus importantes expeditions pour le ſervice du Roy ou de ſon Eſtat, ſortans de ſa teſte, paſſent par les mains de ceux, auxquels il en fie la veue pour les mettre en forme,

&c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Conſiderationes Politicæ ſuper Vitâ

NICOLAI NEOVILLI Villa-Regii, quinque Regum Chriſtianiſſimorum Secretarii & Miniſtri Status primarii, ſcripta à Petro Matthæo Hiſtorico Henric. IV. Reg. Gall. verſæ de Gallico in Latinum.

SI quiſquam mortalium coli meretur, meretur utique Villa-Regius; & Virtuti honorem denegaverit, illi qui denegare auſit. Nuper ſupremis ipſius Lugduni, in Templo Minimorum, exſolutis interfui: atq; iſtic eum docto ſermone laudari audivi à Viro, quem Henricus Magnus impensè dilexit æſtimavitq;, qui plusquam quatuordecim annis Chryſoſtomus aulæ fuit; cujus labium Svadæ templum dici potuit.

tuit. Hoc enim elogium, Pericli à Græcis datum, meliori jure à Gallis huic tribui exiſtimo. Sed quamvis ille Orator nihil eorum, quæ argumenti iſtius òccaſio & dignitas requireret, omiſiſſe videatur, nihilominus me quoque nondum exſolutum puto à nexu officii, quod memoriæ iſtius Viri debeo.

Ille omnium, quæ de tanto ſeculi ornamento exquiſita, & inſignia maximè dici potuerunt, meſſem fecit, nobis nonniſi ſpicilegium relictum eſt. Sed ſufficit mihi demonſtrare, prout olim, cùm Mercurii fingendum eſſet ſimulachrum, exſcripta Alcibiadis facies fuit: ita ad dandam perfecti Miniſtri Statûs ideam, non alium deligendum eſſe, quam Villa-Regium.

Nullum eſt tàm nobile aut validum ingenium, quod ope & ductu alieno non indigeat, & quoscun-

cunque ferè in opere quopiam excelluiſſe videmus viros, præviam aliquam deceſſorum ſuorum manum ſecutos conſtat. Summum admirationis apicem attigit, qui neminem imitatus, dignum ſe fecerit omnium imitatione. Satrius Rufus Ciceronem ſecutus eſt; Cicero in Demoſthene eloquentiæ Græcæ flores delibavit: Demoſthenes Periclem æmulatus eſt, hic Piſiſtratū. Villa-Regium tanti & habendum eſſe & haberi exiſtimo, ut quilibet, ad rerum tractandarum habenas tendens, lubenter ejus Viri veſtigia lecturus ſit.

Miniſtri Statûs nomen tàm latè extenditur, & tàm magnas & excellentes continet virtutes, ut pauci omninò ſint homines, qui id mereantur. Nec enim niſi illi competit, qui nullo malæ fidei actu famam ſuam temeraverit, qui & hominū,

&

& negotiorum, & terrarum perfectam habeat notitiam, ad incerta caſuum, & omnis generis occaſiones, paratus habiliſque ſit; neque tamen nimiâ ſui fiduciâ & æſtimatione tumidus, alios pro ignaris ſpernat; non eodem ſemper tramite incedat, nec diſcedat tamen unquam à recto; nullam in ſententiis ſuis adulationis vel ſervitutis speciē apparere patiatur; non anteponat publico commodo privatum: nihil in conſiliis ſtomacho, moroſitati, choleræ, & præcipitantiæ, quatuor ſcopulis vividorum ingeniorum & ſubtilium, permittat: denique ordinem in ſermonibus, judicium in ſcribendo, ſinceritaten in ſententiis, in decernendo ſolertiam facilitatemq;, in exſequendo conſtantiam & ſilentium teneat oſtendatque.

Scientia regnandi, quam Rationem Statûs quidā, alii prudentiam Poli-

Politicam appellant; requirit tùm excitatam ingenii vim, tùm experientiam abſolutam, diuque verſatam in tractatione negotiorum; quorum notitiam adeò arduum eſt asſequi, ut ei curæ vix totâ hominis vitâ ſufficiat. Sapientia nimirum occupatur circa res, quarum & certa demonſtratio, & tenor curſusq; immutabilis eſt. Prudentia verò circa vices varias mutationesq; occupatur. Illa Regiam Legis & rationis viam inſiſtit, hæc publici boni causâ nonnunquam deflectit à jure communi.

Unde Henricus Magnus paucis diebus ante mortem ſuam, perpetuò deplorari dignam, tùm ſe demùm incipere, ajebat, ſcire, quid regnare ſit. Neque profectò id, quidquid erat ſcientiæ, aliundè, quàm ab experientiâ, hauſerat, quam grãdem librum ſuum appellare ſolebat;

bat, librum, cujus lectione brevi tempore plurimùm profici poſſit. Atque indè fit, ut quemadmodum Respublica, qualem Plato mente effinxit, Orator, cujus ideam Cicero dedit, Dux belli, quem Xenophon delineavit, reperiri non poteſt, ita nec Miniſter Statûs omnibus numeris conſummatus, atq; abſolutus, qualem Magni Principis aut potentis Reipubl. conſilia ac negotia ſubindè deſiderant, facilè inveniatur.

Gallia in producendis ejusmodi Viris nunquam ſterilis fuit. Sed vix ullum tamen tulit, qui Villa-Regio noſtro maturius publicorum negotiorum campum ſit ingreſſus, quique ſerius etiam illo exceſſerit. Et ſi ei in ultimo vitæ actu, inter æternitatis cogitationes, ad mundi negotia mentem reflectere libuit, haud dubiè hâc ſe ſolatus eſt cogitâ-

tatione, neminem ſe relinquere, qui Regi aut diutius, aut intimiore fide, aut majoribus in negotiis ſerviverit. Qui in aliquo vitæ vel artis genere admirabilem ſe reddidit omnibus, is cum nemine facilè comparari vel poteſt vel debet. Altè adſcendendum eſt virtutes & laudes tam altè poſitas attingere volenti.

Servivit noſter quinq; Regibus: vitæ annos ſeptuaginta quatuor; laborum in aulâ, quinquaginta ſex exegit. Vidit bellorum externorum finem, civilium initium, vidit ſpes, gratiam, dignitates multorum creſcere, vidit & decreſcere. Et nempè Aula, quæ duplex cor, & duplicem lingvam habet, quæ fœcunda mutationum, nec ferè conſtans niſi in levitate ſuâ eſt, exempla illi omnis generis eventuum ſuppeditavit.

Venit verò is in aulam ab inſtrumentis ad ſtruendam fortunã neceſ-

ceſſariis ſatis inſtructus. Nam primùm opes, quas Avus reliquerat, tùm fama & merita, quibus is Franciſcum Regem & Reginam devinxerat, poſt & Patris liberalitas, datis neceſſariis ſumptibus, ſplendorem Filio addidêre. Acceſſit deinde matrimonium cum Albaſpinei, Secretarii mandatorum, & intimi Reginæ Matris Miniſtri, filiâ. Quibus omnibus effectum eſt, ut ejus in aulâ incrementa nihil præter tempus, quod tum infeſtum erat virtuti, remorari potuerit.

In aulâ, quantamcunque etiam induſtriam adhibueris, difficile eſt fortunam ſtruere, niſi potens gratia, aut grandis aliqua navata opera fundamentum ante jecerit. O quot bella ingenia flacceſcunt, quia iſto Sole oriente non vegetantur! Quot pulcherrimæ gemmæ, quia malè inſertæ ſunt operi, de fulgore & pretio ſuo plurimum deperdunt!

Sed Villa-Regio in primo mox flore ætatis ad negotia ſe applicuiſſe plurimùm profuit. Raró in aulis emergunt, qui ſerò ad eas accedũt. Multo tempore opus eſt ad detexenda tot rerum ſtamina, qualia in Regimine publico occurrunt. Multis vigiliis iſtic ad quietem, multis contemptibus ad honorem pervenitur. Multæ calumniæ perferendæ, antequam ab invidiâ te liberes. Sed patientia & conſvetudo dura iſta & aſpera emollit: cùm præſertim quædam genii proprii, ſi is ad aulã minus idoneus ſit, abolitio, vel ſaltem attemperatio accedit. Nam qui ſuo ingenio & arbitrio vivere vult, in aulâ non proficiet. Carcer eſt illa, in cujus ingreſſu deponere neceſſe eſt arma; libertatem nimirùm, animi ſuâ ſorte contenti lætitiam, quietem, nihil verò retinere, quàm patientiam & ſpem. Et

hinc

hinc Villa-Regius identidem dicere ſolebat; *Nunquam in aulâ deſperandum, nec quicquam iſtic adeò difficile eſſe, quin patientiâ & quâdam quaſi importunitate ſuperari poſſit.*

Primò omnium à Regina Catharinâ, principe boni judicii in deligendis ingeniis, & magnæ in alliciendis iiſdem liberalitatis, adhibitus eſt negotiis. Miſſus ab eâ in Hiſpaniam, ut executioni articulorum pacis, anno 1559. * factæ, intereſſet, & poſtea Romam ad Pium IV. Papam Romanum, propter controverſiam de loci prærogativa, nunquam antehac à quoquam, Regi Chriſtianiſſimo motam. * Doleo me jam plus quàm centum milliarium intervallo ab autographo literarum, quas ſuper hoc argumẽto Villa-Regius ſcripſit, remotum eſſe. Si enim ad manus illud foret, non pigeret inde aliqui à huc transfer-

*Vide Thuanũ lib. 22.

* Vide de hâc controverſiâ, quæ habet hic ipſe Petr. Matt. lib. 1 narr. 2. parte primâ ſeptennii rerum Henrici IV.

ferre: unde tantò clarius pateret, in primâ etiam juventâ nil vulgare virum hunc ſpirâſſe.

In apparatu, quo inſtructum eſſe oportet eum, qui in aulâ vivere velit, primas obtinet judiciũ bonum rectumque. Nam decora ingenia parvo & tempore & labore, ac rectâ ſcilicet viâ ad voti ſui apicem perveniunt. Craſſa & inepta terris ſterilibus ſimilia ſunt, quæ quò diutius coluntur, eò minus fructuũ afferunt, aut nautis imperitis, qui mare & ventos perpetuò accuſant, neque ad portum, niſi caſu, pertingunt. Animus fortis, liber, induſtrius, ubique in conſiliis, negotiis, expeditionibus eniteſcit: & quemadmodum res non eo modo, quo alia vulgaris notæ ingenia, concipit, ita ſermonibus quoque communem hominum ſortem excedit, nunquam extra oleas vagans, ſed

ſco-

ſcopum feriens, etiam tùm, cùm minùs ad eum collimare videtur: ſubtilis eſt in argumentando, in reponendo prompt9, dexter in comprehendendo: in conſiliis & ſententiis clarus, in loquendo ordinatus, in fictis rebus venuſtus, in veris gravis. Breviter, & proponere negotia, & diſtribuere, & perſequi, & denique exequi novit.

In primordiis magnâ vigilantiâ præcavit Villa-Regius, ne ullâ re exiſtimationem ſuam læderet. Prudenter utique. Nam qualia exiſtimationis initia, talia ejusdem incrementa & decremēta eſſe ſolent. Præcipuè boni viri cōciliare ſibi famam oportet: quia cæteræ virtutes parum proſunt, niſi probitatis opinione fulciantur. Ea vaſis iſtius Politici fundus eſt, quo labefactato effunditur, quicquid vaſi ineſt. Sermones viri boni juramenti pondus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& pretium habent. Ita is hominibus loquitur, ut DEO loqui ſolet. Rem quamque ſuo nomine appellat; bonos aperto favore proſequitur: delinquentes blandè admonet: Malis delationibus, calumniis & aſſentationibus aures nō commodat. Si disſimulatione, novâ illâ, ſed Aulis jam nimis uſitatâ virtute opus eſt, eam adhibet ita moderatè, ut nec Innocentiæ, nec veritati fiat injuria. Potentiam denique ſuam minimè unquam damno aliorum oſtentare amat.

Ex Italia reverſus noſter, Albaſpineo ſocero, viventi tum adhuc, in Secretarii munere, Matris Reginæ beneficio deſtinatur ſucceſſor, ſimulque ob fidem & vigilantiam Carolo IX. commendatur. Qui eo mox affectu hominem complexus eſt, ut hunc inprimis Secretarium SUUM diceret, intimarum-

que

que cogitationum faceret participem. Dictavit illi librum de venatione & quædam alia poëmata. Inter quæ & illud fuit ad Ronſardum:

Ton eſperit eſt, Ronſard, plus gaillard, que le mien,
Mais mon corps eſt plus ieune & plus fort, que le tien. *i. e.*

Ingenio, Ronſarde, tuo me ſentio vinci,
Sed vegeto corpus robore vinco tuum.

Reſpondit Ronſardus tali initio:

Charles, tel que je ſuis, vous ſerez quelque iour.
L'aage vole touſiours ſans espoir de retour.

id eſt:

Sum feſſus ſenio, talem te crede futurum,
Hora fugit, nec cùm tranſiit, hora redit.

 Sed

Loquitur autor ex ſuo ſenſu, ut quisq; debet pro fide ſuâ.

* Sed ut nihil deeſt ei, cui gratia divina adeſt, ita noſtrum Villa-Regium nihil potentius provexit, quã firmus & conſtans in antiquâ religione zelus. Quam profeſſus eſt ille iis temporibus, quibus maximæ quæque animæ in transverſum rapiebantur; novitatis inprimis illecebrâ Gallorum curioſitati facilè illudente, & optima quæque ingenia in Scholis & Curiis corrumpente. Nam poſt colloquium Poſſiacenſe, edictum Regium aram contra aram aperuerat, & præcipuas civitates occupaverat diſcordia. Ita paſſim vacillabant animi, ut Henricum IV. aliosque Henrico ſeniores dicere meminerim, ipſam Reginam Matrem, ut tempori ſerviret, & partem validiorem ſibi conciliaret, minimè inimicam ſe novitatibus iſtis, intra cubiculi etiam occulta, oſtendiſſe. Tantum poteſt neceſſi-

ceſſitas, aſperorum plerumq; conſiliorum magiſtra.

Noſter juvenis averſabatur everſionem diſciplinæ veteris, ſacrique regiminis; quod alii irridebant, viam, quam ingrederentur, compendioſiſſimam ad præſentem, futuramque ſalutem eſſe arbitrantes: Illi, quantumvis antiquitatis retinenti, patroni in aulâ & potentes non deerant. Eidemque ipſa hæc conſtantia auxit Caroli Regis favorem. Benevolentiam Regum nulli facilius tutiusve aſſequuntur, & alere poſſunt, quàm qui primis inclinationibus juventæ eorum, exercitiisque & voluptatibus ſeſe accommodant, opibusq; illorum augendis, aut denique proferendis Regni finibus operam ſuam probant. Sed iisdem, ubi ſe inſinuaverint, ad conſervandum favorem nihil utilius, nihil præſtantius eſt fide & mode-

ſtiâ. Quarto ultra vigeſimum ætatis anno munus, quod jūctâ ſocero operâ aliquandiu adminiſtraverat, ſolus obtinuit, eidemq; mox aliud, cùm forte fortunâ tùm vacaret, adjunctum eſt.

Sed ea functio non tanti tùm ſplendoris ac momenti erat, cujus nunc eſt. Oſtendi alibi, ſub Ludovico XI. non fuiſſe ullos Secretarios mandatorum. Quivis Regii cubiculi familiaris ad expeditionem literarum, negotiorumque, ſuper quibus Rex cum præcipuis conſiliariis deliberâſſet, admittebatur. Unde fit, ut maximarum negotiationum inſtrumentis diverſi Secretarii nomina ſua ſubſcripſerint. Sed nempe his temporibus Principi Miniſter intimæ admiſſionis ſemper aderat, cui ſecretiora conſilia & negotia magis ardua innitebantur. Talis erat ſub Ludo-

vico

vico XI. Balveus, ſub Carolo VIII. Briconnetus, ſub Ludovico XII. Cardinalis d'Amboiſe, & Robertetus.

Nunc aulæ præcipua negotia tribus ſeculi hujus luminibus, Hoſpitalio Cancellario, Morvillerio Epiſcopo Aurelianenſi & Sigilli cuſtodi, Albaſpineo Epiſcopo Limovicenſi incumbebant. Ab his ad carpendos longiſſimæ in aulâ experientiæ ſuæ fructus admiſſus noſter, didicit ſcire multa, pauca admirari. Adamas adamante: ingenia ingeniis poliuntur in tractatione negotiorum. Ubi vel tardiſſimi animi, non ſecus atq; torrente graviſſimi ſcopuli, propelli ſolent. Sed quemadmodum, qui eloquentiâ præſtare cupiunt, perfectiſſima quæque Veterum Oratorum opera ad imitandum ſibi proponunt: ita ad res tractandas publicas formaturo inge-

genium, veſtigia eorum ſequenda ſunt, qui in iiſdem rebus diu & feliciter ſint verſati. *Nunquam præceptis aut ſermonibus vel longiſſimis tantum proficitur, quantum magnis aliorum exemplis, & propriâ induſtriâ.*

Sed neque occaſiones ſemper ingeniorum reſpondent promptitudini, nec iſta occaſionibus. Itaq; magnæ felicitatis eſt, pronos ac faciles habere viros ejuſmodi præſtantes, qui velut in altiſſimo ſupremæ Sphæræ faſtigio poſiti, citius aliis ſerenitates & procellas venientes vident, rerumque eventa animis præcipiunt, originem, tractum, & effecta bonorum malorumque penitiſſimè intelligentes. Nam ut à Sole facilè calorem, à rebus fragrãtibus odorem corpora contrahũt, ita magnorum virorum convictu ad bona conſilia formatur judicium.

Cæ-

Cæterùm nonniſi magnis in negotiis induſtriam ſuam ab initio mox exercuit noſter. Unde humiles curas protinus exuit, & miſſis vulgaribus, ad altiſſima quæque exſurrexit. Opus eſt in hâc civilis vitæ ſcholâ, ut quisque animi ſui vires cum curâ æſtimet, cognoſcatque, quò eniti poſſit. Nam & diverſæ eminendi formæ, ac modi ſunt. Sunt, qui quò altius evehuntur, eò minus apparent. Alii luci ſe non ingerunt, nec oſtentant magnitudinem ſuam. Malunt ipsâ rerum adminiſtratione virtutem ſuã eluceſcere. Cùm alii ſæpè ſuccũbant honoribus, digni iis æſtimãdi, niſi habuiſſent. Non malè ad hanc ingeniorum diverſitatem capitis Minervæ comparatio quadrat, quod Athenis duo nobiliſſimi ſculptores, Phidias & Alcmenes effinxerant. Phidiæ opus primitùs plerique

que contempſerant, tanquam rudi manu inceptum potius, quàm exaſciatum. Alterum contrà omnibus admirationi fuit ob artificium, quòd tenuiſſima quævis lineamenta expreſſa viderentur. Sed cùm deinde ſingulæ hæ ſtatuæ columnis altiſſimis impoſitæ eſſent, quæ Phidiæ erat, juſtâ intervalli proportione decus ſuum aſſecuta, omnium mox oculos rapiebat. Contra verò altera prorſus videbatur informis, ſublimitate ipsâ pulchritudinis ſpeciem ei auferente, adeò ut globi malè circinati inſtar haberet.

Ad eundem modum ingeniorum ſplendor, pro loci, in quo ea poſita ſunt, altitudine variat. Quædam non fulgent, niſi in celſiſſimâ negotiorum quaſi regione verſentur. Alia faſtigii ejusmodi impatientia non niſi ad certū altitudinis modum evehi debent. Quem ſi

egre-

egrediantur, conſpici nequeunt, nec ſeipſa quandoque noſcunt amplius, vertigine quadam caput, fulgoreque lucis oculos ſiderante.

Non mediocres eâ tempeſtate deliberationes, negotiaque in aulâ agitabantur. Ardua moliebatur Rex, & conſilia cuncta nonniſi pugnas victoriasque ſpirabant: Religione ipsâ, ut in DEI cultu, ita in Regis obſequiis Gallos rapiente in diverſos auſus. Unde univerſum regnum in duas partes diſcesſerat, quarum prætextus religio, finis imperium erat. Concilium Tridentinum omnium animos tenebat in ſuſpēſo. Albani in Flandriam transitus aliis metum, aliis faciebat audaciam. Regina, poſtquam regimen filio ceſſiſſet, per Regni illum, provincias ducebat, monſtrabatq; ſubditis. *Congreſſus Regis cum

Hi-

*Hoc colloquium deſcribitur à Thuano lib. 3 edit. Francofurt. p. 695. Hoc tempore Liga inter Hiſpanos & Reginam Galliæ inita contra Proteſtantes.

Hiſpaniæ Reginâ, Matris verò ſecretæ cum Albano communicationes magnis cogitationibus implebant animos. Rex cùm Medis eſſet, propinquum ſubitò cum milite Condéum adeò exhorruit, ut de nocte Lutetiam, * Helvetiis ſuis comitatus, refugeret. Apud Dionyſii fanum Hoſpitalio Epiſcopo Aurelianenſi, & alteri Limovicenſi cum Principe Condéo colloquiũ fuit, cui Villa-Regius interfuit. Secutus eſt poſtea conflictus, ubi Duci exercituum Regiorum cæſo Andegavēſis ſucceſſit. Poſtridie Albaſpineus deceſſit, unde onꝰ negotiorum novis indies acceſſionibus difficultatum ingraveſcebat, & jam à ſolo penè Villa-Regio ſuſtinebatur.

*Vide Thuanum lib. 42. p. 730. edit. Francof. ſub an. 1567.

* Miſſus eſt poſtea à Carolo IX. ad Maximilianum Cæſarem, novæ inter principes iſtos affinitatis futurus

*Vide Thuan. l 39. edit. Francofurt. p. 725. ſub anno 1566.

rus cōciliator. Quo ipſo itinere non parum formando firmandoq; ejus judicio acceſſit. Uti profectò iis, qui grandibus negotiis adhiberi cupiūt, externarum ditionum luſtratio multùm prodeſt, præſertim vicinarum, & quibuscum bella crebriùs ſolent intercedere. Sed niſi peregrinantis curioſitatem judicium, & inſignis viſa recordandi induſtria comitetur, omnis peregrinationis fructus vaneſcit.

Non ſatis eſt raris, quæ peregrè occurrunt, inſtupeſcere, nec jucundis oblectari. Rationem gubernationis tàm togatam, quàm militarem obſervare oportet. Advertere item, quomodo Principi pareant ſubditi, Miniſtriq́; ſerviant: quibus rebus vires provinciæ conſtent, quibus defectib⁹ eædem laborent. Quis modus ædificandi, quæ munitiones, quæ præſidia, qui & quales

militiæ nervi: qui & unde invadere volentibus aditus pateant. Denique, plusne caloris ad magna & audacia conſilia, quàm virium ad eadem exſequenda adſit.

Juvenes vitia plerumque nationum notant, non inutili, attamen vergente facilè in litium materiam curâ, quia talium exprobrationes ægerrimè ferunt plerorumque animi, ut qui patrios mores cæco affectu adamant, & generoſum putãt, labem genti ſuæ adſperſam vel ſangvine eluere.

Cæterùm viro Politico non min⁹ pudendum fuerit, res quà externas quà domeſticas ignorare, quã Medico, corporis humani neſcire temperiem. Ac imperitia illa Respublicas & Regna ſæpè in noxia conſilia impellit, inq; bellum nonnunquam provocat gentes, à quibus deinde pacem petere oportet.

Rex

Rex breve vitæ ſuæ curriculum fore prævidens, fratri Henrico, in Poloniam tùm abeunti, commendabat Villa-Regium. Neque multò poſt diem ſuū obiit, inter extrema ipſa affectum ſuum erga hunc promere memor, cùm aliarum omnium mundi rerum immemor eſſet.

Principis iſtius ſi conſilia aliqua immoderata fuêre, eorum Villa-Regius non fuit autor. Quin hic admonebat ſubinde, Reges, qui metui potius, quàm amari velint, tandem pro metu odiū incurrere: timorem utique malum obſequii magiſtrum eſſe. Dictum illud crudele & deteſtandum: Oderint dùm metuant, haud eſſe Chriſtianum, & nè Romæ quidem, ante Syllæ tempora, auditum. Porrò adeò neceſſarius jam miniſter erat Villa-Regius, ut priori Domino orbatus, non minore alterius gratiâ floruerit.

rit. Cui, inter plura alia ſaluberrima, ſvadere ſolitus eſt, ut ſangvinis ſui Principes in eandem conſiliorū ſocietatem novis vinculis, omiſſo religionis diſcrimine, adſtringeret, ne ii, acerbius habiti, legitimo Capiti aliud præferrent.

Nec averſatus conſilium Rex, ipſo miniſtrante Villa-Regio, duos revocavit Principes amore apud ipſum præcipuos, Alenzonium, & RegemNavarræ. Quorumillum ambitio, magis voto ſuo, quàm officio intenta, alienaverat. Alterius conſcientiam novæ libârant opiniones. Miſit itaque adillos Reginam Matrem Rex, ſedita, ut Villa-Regius illam comitaretur, cui utique opera iſta & grata & utilis fuit. Quemadmodum ſanè nuſquam melius ſibi conſulere Miniſter publicus poteſt, quàm ubi reducendis in gratiam domûs Regiæ Principi-

cipibus feliciter induſtriam impendit.

Cùm Rex novum ordinem inſtituere cogitaret, primus Villa-Regius conſcius fuit conſilii, non uſq; quaque forſan optimi. Nam melius, opinor, fuiſſet antiquos S. Michaëlis equites reſtabilire, quemadmodum Maximilianus aurei velleris ordinem non ſine magnâ laude ſua renovavit. Sed Rex aliò reſpiciens, S. Spiritus ordinem erigere maluit, moderationem tamen Villa-Regii non aſpernatus, qui illuſtriorem fore ordinem dixerat, quò pauciores in eum reciperētur. Laudabilem eſſe Principis parſimoniam in dandis honorum inſignibus, quæ nonniſi benè meritorum præmia eſſe debeant: malè Themiſtocli ex Salaminiâ pugnâ victori coronam recuſari, ut detur Demoſtheni, qui ex pugna aufugerit.

Multorum tùm odia in Regem hunc exarſerant, indeque nati ſunt libri acerbi admodum & injurii in Majeſtatem. Et hæc ſui vindex, de autoribus quorundam graviſſimas pœnas ſumſit. Sed invito id factum Villa-Regio, qui verè in proverbio dici ſciebat, *papyrum mollem eſſe, ac ferre omnia, & Satyras, cum prohibentur, tantò curioſiùs requiri.* Non eſt nimirum boni Miniſtri, aures animumque Principis variis rumuſculorum vulnerare aculeis, neque iram ejusdem accendere adverſus talium autores. Nullum enim offenſæ genus magis diſſimulandum eſt, quàm quod ab ingenioſis commentis, lingvâ, & calamo proficiſcitur. Animi generoſi ſatis ſibi ulti videntur injurias, ubi oſtenderint, in proclivi fuiſſe ultionem. Alexander talia dicteria ridebat, Auguſtus remunerabatur,

Ti-

Tiberius diſſimulabat, Titus contemnebat. Et dictum Alexandri circumfertur, nihil magis Regium eſſe, quàm, cum benè feceris, malè audire. Imperatores, Theodoſius, Arcadius, Honorius, quorum pater inter optimos, filii inter bonos numerari merentur, tulêre ſuper hâc re legem adeò divinam, ut in cœlo dictata videatur, quæ ita habet: *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq́ue maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neq; durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere, quoniã, ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendũ eſt, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum, ſi ab injuriâ, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrùm prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus.* In-

l.unica.C. Si quis Imper.maled.

Ingeniis ac cupiditatibus Principum adeò facili obſequio ſe accommodant plerumque aulici, ut miræ religioſitatis jam ille eſſe videatur, qui veris offendere, quàm placere aſſentando malit. Nihil oppidò tàm rarum eſt in Regum palatiis, nihil etiam tàm periculoſum, quàm ſimplex veritas. Archiepiſcopus quidam Galliæ, Pariſiis, in publico Ordinum Generalium conventu, Reginæ Matri dixit aliquando: *Veritatem proximis quinquaginta annis limen Cubiculi Reginæ non intrâſſe: Eandem Curias Regum nonniſi furtim, & per feneſtras ingredi*, alius Epiſcopus anno ſuperiore, in arce Luparenſi concionans, dixit. Quò plus debet Princeps bono miniſtro, vera non minus fidenter, quàm judiciosè dicenti. Et omninò honores, ac certa præmia decernenda eſſent rectis ejusmodi ſen-

ten-

tentiis, inprimis, ubi de rebus agitur dubiis, & magni tamen momēti, atque ubi publicæ omninò rei intereſt, non tacuiſſe.

Catharina Galliarum Regina adamabat quendam ſuæ Nationis Magnatem. Villa-Regius non neſcius, Principes Proceresque Galliæ ob id ſtomachari, ac metuens, ne in factiones pernicioſas erumperet indignatio, auſus eſt rogare Reginam, ut moderaretur affectui. Illa paruit, & alter ille, cui gratia Principis odium apud cæteros parere cæperat, adeò modeſtè poſtea & prudenter egit, ut, quod rarum in peregrino, fortunâ ſuâ illæsâ, prætemavigarit ſcopulos, ad quos periclitari ſolent, qui favore Principum altiùs extolluntur.

Henricus III. è Polonia redux, citò otii delitias & oblectamenta inania curis militarib⁹ antehabuit.

Inter alia ejus inſtituta ſocietates fuêre & collegia hominum, qui, citra ſacerdotii religionem, ad quasdam tamen vitæ ſtrictioris leges, certis temporibus obſervandas, ſeſe ultrò obſtringerent. Vicennarum inprimis Caſtrum huic rei deligebatur, quò Proceres & negotia aulæ ſequebantur Regem. Aderat itidem Villa-Regius, expeditionum arduarum, & ſæpè moram non ferentium curis perpetuò occupatus. Eum volebat nihilominus Rex, ſtatis diebus, ſolenni habitu, rebus divinis vacare, & per intervalla profanis ſimul: certo in id ſtructo conclavi, ubi, velut in exedrâ, literis accipiendis dandisq; locus eſſet. Verùm cùm ita tardiùs expedirentur res, Villa-Regius damnum publicum voce non minus generosâ, quàm verâ, Regi auſus eſt ob oculos ponere:

Do-

Domine, inquit, *Officia & obligationes noſtræ temporibus diſtingvuntur, & meritò debita vetera prius, quàm nova, debent exſolvi. Caput es, fateor, ſacræ iſtius ſocietatis, ſed diu ante ſocietatem hanc, Rex Galliæ fuiſti. Conſcientiæ lege teneris, Regio prius muneri, quàm novo huic collegio vacare. Voluntario hoc vinculo exſolvere te ſemper potes, at non potes illo, quo te functio Regia devinctum tenet. Saccum ſocietatis, quando lubet, induis, ſed Diadema geſtas perpetuò, nec id leviore negotio in ſolitudine, quàm inter negotia, ſuſtinetur.* Quid ſermone iſto aut verius aut ſapientius?

Nunquam nimium eſt, quod Principes dant Pietati. Nonnunquam tamen DEI ipſius causâ remittendum aliquid eſt de externis cultûs Divini officiis. Patitur ſe ille in ipſis quoque negotiis inveniri, & ſæpè ſola bonæ mentis intentio-

ne

ne contentus eſt. Sit vel æneum erga Galliam cœlum, dum pietas in cordibus Regum noſtrorum vigebit, ferè aliâ pluviâ non magis indigebit, quàm Ægyptus, quæ nihil imbribus debet, proprio amne perfuſa, nec aquarum alio genere ſolens pingveſcere. Verùm pietatem illis oportet optare infucatam, nec violentam, recto (ut ſic dicam,) talo ſtantem, nec extra fines ſuos quàquam abeuntem. Fugit illa duo hæc extrema, Impietatem & Superſtitionem. Quorum altera inſolenter illudit numini, altera de eodem malè ſentit. Altera excœcat animam, altera luſcam reddit. Pietas Deũ amat; Impietas ſpernit, aut non majoris eum facit, quàm ſi homo eſſet: Superſtitio verò timet eundem, ac ſi non eſſet Deus.

Amabat ſolitudinem Rex, & ideò uno propemodum loco vivere

ſo-

ſolebat. Ne id rebus ejus obeſſet, ſvaſit Villa-Regius, ut Miniſtris præcipuis per Regni Provincias dimiſſis, vim Majeſtatis ſuæ luceſcere ubiq; ſineret, & quos præſentiâ ſuâ deſtitueret, eos ſaltem adminiſtratione juſtitiæ contineret in officio: Solem imitat⁹, qui in cælo jugiter manens, radios tamen ſuos toto orbe diffundit. Si, qui mittuntur, ſunt viri boni, & præſtantes virtute, augent ubique reverentiam Principis, & obſequium ſubditorum. Ac verba eorum ſingula faces ſunt ardentes, quibus partium à Sole ſuo remotiorum glacies liqueſcere ſolet.

Non poteſt Princeps faciliùs ſibi benevolentiam publicam conciliare, quàm per miniſtros, boni publici ſtudioſos. Unde omnium præceptorum, quæ Carolus V. filio ſuo Philippo II. reliquit, optimum hoc eſt, quòd ſvaſit, ut, quandó tot

&

rit. Cui, inter plura alia ſaluberrima, ſvadere ſolitus eſt, ut ſangvinis ſui Principes in eandem conſiliorū ſocietatem novis vinculis, omiſſo religionis diſcrimine, adſtringeret, ne ii, acerbius habiti, legitimo Capiti aliud præferrent.

Nec averſatus conſilium Rex, ipſo miniſtrante Villa-Regio, duos revocavit Principes amore apud ipſum præcipuos, Alenzonium, & Regem Navarræ. Quorum illum ambitio, magis voto ſuo, quàm officio intenta, alienaverat. Alterius conſcientiam novæ libârant opiniones. Miſit itaque ad illos Reginam Matrem Rex, ſed ita, ut Villa-Regius illam comitaretur, cui utique opera iſta & grata & utilis fuit. Quemadmodum ſanè nuſquam melius ſibi conſulere Miniſter publicus poteſt, quàm ubi reducendis in gratiam domûs Regiæ Principi-

cipibus feliciter induſtriam impendit.

Cùm Rex novum ordinem inſtituere cogitaret, primus Villa-Regius conſcius fuit conſilii, non uſq; quaque forſan optimi. Nam melius, opinor, fuiſſet antiquos S. Michaëlis equites reſtabilire, quemadmodum Maximilianus aurei velleris ordinem non ſine magnâ laude ſua renovavit. Sed Rex aliò reſpiciens, S. Spiritus ordinem erigere maluit, moderationem tamen Villa-Regii non aſpernatus, qui illuſtriorem fore ordinem dixerat, quò pauciores in eum reciperētur. Laudabilem eſſe Principis parſimoniam in dandis honorum inſignibus, quæ nonniſi benè meritorum præmia eſſe debeant: malè Themiſtocli ex Salaminiâ pugnâ victori coronam recuſari, ut detur Demoſtheni, qui ex pugna aufugerit.

Multorum tùm odia in Regem hunc exarſerant, indeque nati ſunt libri acerbi admodum & injurii in Majeſtatem. Et hæc ſui vindex, de autoribus quorundam graviſſimas pœnas ſumſit. Sed invito id factum Villa-Regio, qui verè in proverbio dici ſciebat, *papyrum mollem eſſe, ac ferre omnia, & Satyras, cum prohibentur, tantò curioſiùs requiri.* Non eſt nimirum boni Miniſtri, aures animumque Principis variis rumuſculorum vulnerare aculeis, neque iram ejusdem accendere adverſus talium autores. Nullum enim offenſæ genus magis diſſimulandum eſt, quàm quod ab ingenioſis commentis, lingvâ, & calamo proficiſcitur. Animi generoſi ſatis ſibi ulti videntur injurias, ubi oſtenderint, in proclivi fuiſſe ultionem. Alexander talia dicteria ridebat, Auguſtus remunerabatur, Ti-

Tiberius diſſimulabat, Titus contemnebat. Et dictum Alexandri circumfertur, nihil magis Regium eſſe, quàm, cum benè feceris, malè audire. Imperatores, Theodoſius, Arcadius, Honorius, quorum pater inter optimos, filii inter bonos numerari merentur, tulêre ſuper hâc re legem adeò divinam, ut in cœlo dictata videatur, quæ ita habet: *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neq; durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere, quoniã, ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendũ eſt, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum, ſi ab injuriâ, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrùm prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus.* In-

l. unica. C. Si quis Imper. maled.

Ingeniis ac cùpiditatibus Principum adeò facili obſequio ſe accommodant plerumque aulici, ut miræ religioſitatis jam ille eſſe videatur, qui veris offendere, quàm placere aſſentando malit. Nihil oppidò tàm rarum eſt in Regum palatiis, nihil etiam tàm periculoſum, quàm ſimplex veritas. Archiepiſcopus quidam Galliæ, Pariſiis, in publico Ordinum Generalium conventu, Reginæ Matri dixit aliquando : *Veritatem proximis quinquaginta annis limen Cubiculi Reginæ non intrâſſe : Eandem Curias Regum nonniſi furtim, & per feneſtras ingredi*, alius Epiſcopus anno ſuperiore, in arce Luparenſi concionans, dixit. Quò plus debet Princeps bono miniſtro, vera non minus fidenter, quàm judiciosè dicenti. Et omninò honores, ac certa præmia decernenda eſſent rectis ejusmodi ſenten-

tentiis, inprimis, ubi de rebus agitur dubiis, & magni tamen momēti, atque ubi publicæ omninò rei intereſt, non tacuiſſe.

Catharina Galliarum Regina adamabat quendam ſuæ Nationis Magnatem. Villa-Regius non neſcius, Principes Proceresque Galliæ ob id ſtomachari, ac metuens, ne in factiones pernicioſas erumperet indignatio, auſus eſt rogare Reginam, ut moderaretur affectui. Illa paruit, & alter ille, cui gratia Principis odium apud cæteros parere cæperat, adeò modeſtè poſtea & prudenter egit, ut, quod rarum in peregrino, fortunâ ſuâ illæsâ, prætervavigarit ſcopulos, ad quos periclitari ſolent, qui favore Principum altiùs extolluntur.

Henricus III. è Polonia redux, citò otii delitias & oblectamenta inania curis militarib⁹ antehabuit.

Inter alia ejus inſtituta ſocietates fuêre & collegia hominum, qui, citra ſacerdotii religionem, ad quasdam tamen vitæ ſtrictioris leges, certis temporibus obſervandas, ſeſe ultrò obſtringerent. Vicennarum inprimis Caſtrum huic rei deligebatur, quò Proceres & negotia aulæ ſequebantur Regem. Aderat itidem Villa-Regius, expeditionum arduarum, & ſæpè moram non ferentium curis perpetuò occupatus. Eum volebat nihilominus Rex, ſtatis diebus, ſolenni habitu, rebus divinis vacare, & per intervalla profanis ſimul: certo in id ſtructo conclavi, ubi, velut in exedrâ, literis accipiendis dandisq; locus eſſet. Verùm cùm ita tardiùs expedirentur res, Villa-Regius damnum publicum voce non minus generosâ, quàm verâ, Regi auſus eſt ob oculos ponere:

Do-

*Domine,*inquit, *Officia & obligationes noſtræ temporibus diſtingvuntur, & meritò debita vetera prius, quàm nova, debent exſolvi. Caput es, fateor, ſacræ iſtius ſocietatis, ſed diu ante ſocietatem hanc, Rex Galliæ fuiſti. Conſcientiæ lege teneris, Regio prius muneri, quàm novo huic collegio vacare. Voluntario hoc vinculo exſolvere te ſemper potes, at non potes illo, quo te functio Regia devinctum tenet. Saccum ſocietatis, quando lubet, induis, ſed Diadema geſtas perpetuò, nec id leviore negotio in ſolitudine, quàm inter negotia, ſuſtinetur.* Quid ſermone iſto aut verius aut ſapientius?

Nunquam nimium eſt, quod Principes dant Pietati. Nonnunquam tamen DEI ipſius causâ remittendum aliquid eſt de externis cultûs Divini officiis. Patitur ſe ille in ipſis quoque negotiis inveniri, & ſæpè ſola bonæ mentis intentione

ne contentus eſt. Sit vel æneum erga Galliam cœlum, dum pietas in cordibus Regum noſtrorum vigebit, ferè aliâ pluviâ non magis indigebit, quàm Ægyptus, quæ nihil imbribus debet, proprio amne perfuſa, nec aquarum alio genere ſolens pingveſcere. Verùm pietatem illis oportet optare infucatam, nec violentam, recto (ut ſic dicam,) talo ſtantem, nec extra fines ſuos quàquam abeuntem. Fugit illa duo hæc extrema, Impietatem & Superſtitionem. Quorum altera inſolenter illudit numini, altera de eodem malè ſentit. Altera excœcat animam, altera luſcam reddit. Pietas Deũ amat; Impietas ſpernit, aut non majoris eum facit, quàm ſi homo eſſet: Superſtitio verò timet eundem, ac ſi non eſſet Deus.

Amabat ſolitudinem Rex, & ideò uno propemodum loco vivere

ſo-

ſolebat. Ne id rebus ejus obeſſet, ſvaſit Villa-Regius, ut Miniſtris præcipuis per Regni Provincias dimiſſis, vim Majeſtatis ſuæ luceſcere ubiq; ſineret, & quos præſentiâ ſuâ deſtitueret, eos ſaltem adminiſtratione juſtitiæ contineret in officio: Solem imitat⁹, qui in cælo jugiter manens, radios tamen ſuos toto orbe diffundit. Si, qui mittuntur, ſunt viri boni, & præſtantes virtute, augent ubique reverentiam Principis, & obſequium ſubditorum. Ac verba eorum ſingula faces ſunt ardentes, quibus partium à Sole ſuo remotiorum glacies liqueſcere ſolet.

Non poteſt Princeps faciliùs ſibi benevolentiam publicam conciliare, quàm per miniſtros, boni publici ſtudioſos. Unde omnium præceptorum, quæ Carolus V. filio ſuo Philippo II. reliquit, optimum hoc eſt, quòd ſvaſit, ut, quandó tot

&

& tàm diſſitas provincias ipſe adire nequeat, iſtic nihilominus vi authoritatis & juſtitiæ adeſſe nitatur, committendo curam illarum viris ejusmodi, qui innocentiâ ac virtute præſentiam principis minus deſiderabilem reddant, & abſentiam innoxiam.

Cùm Rex tragicô exitu Blæſenſem conventum finire decreviſſet, ſuum inde diſcedendi propoſitum non coràm, ſed per codicillos Villa-Regio aperuit: haud dubiè metuens, ne per illum, & Belleuréum à tam præcipiti conſilio avocaretur. Id quod, adhibitâ in ſecreti conſcientiam Reginâ Matre, facila erat factu. Reverebatur enim Rex genium Matris, tam validum apud ſe, ut ægrè ei reſiſteret, neque artibus illius perſpiciendis par erat. Quemadmodum virorũ quidem in-

ingenia difficulter cognoſcuntur, fæminarum nunquam.

CredebatRex, ſangvine duorum Principum, ſuſcitatum ab ipſis turbarum ignem extingvi poſſe. Sed is vehementius inde accenſus eſt, ſeditione paulò poſt per Regnum univerſum coortâ. Saturnalia excitata crederes, adeò exutâ omni poteſtatum reverentiâ, partes Dominorum ſervi ſumebant. Excitâque tempeſtate navis adeò regimini refractaria reddita eſt, ut à recto curſu addictiſſimi etiam remiges deflecterentur. Villa-Regius perſiſtere cupiebat in ſtatione ſervitii Regii, quod alii omnes deſerebant, & id ſtudium ſuum ſignificabat Regi. * Sed is conſiliis ſuis, etſi malè firmis, nimium fidens, carere poſſe videbatur viro tàm neceſſario, & tot ſecretorum conſcio.

* Quomodo & quibus ex cauſis ab aulâ Regis diſceſſerit Villa-Reg. exponit Thuanus lib. 92. ſub anno 588.

Privat ſe oculis Princeps, qui in negotiis diu verſatum Miniſtrum repudiat.

* Poſuit AutorGavaricus: Sed meliùs Govoricus.

*Olim Poloniæ univerſæ odio laborabat Govoricus, Leſci Albi Miniſter, adeò ut Principem faſtigio ſuo depellere proceres minarentur, niſi hominem, tàm omnibus inviſum, abigeret. Ille cedere odiis, & nempe projici volebat in mare iſtud, in quo tantas excitare tempeſtates videretur: conteſtans ſubinde animum, non patriam tantū, ſed & vitam amittere paratum, principis, & quietis publicæ causâ. Sed Leſcus pariter, nec regnum ſibi gratum fore reſpondit, quòd tàm iniquâ conditione, & tanti ſcilicet Miniſtri injuriâ redimendum ſibi proponeretur. Exoleſcente autem omni à protectione Regiâ ſpe ſecuritatis, amplexus eſt Villa-Regius partem, in quâ pater ipſius, filius, uxor, familia, & facultates omnes erant.

erant. Equidem ſi ex voto res ſuas componere potuiſſet, in prædio aliquo ſuo deliteſcere, ac incēdij iſtius exitum ſpeculari maluiſſet. Sed ita ſe omnibus fortunæ & temporis injurijs obnoxium fore videns, parendum neceſſitati, & miſsâ rigidioris juſtitiæ ſemitâ, viam Prudentiæ ſibi ingrediendā duxit. *In turbis civilibus peſſimam partem ille amplectitur, qui neutram.* Neque enim niſi in litibus privatis iſta ambigendi libertas ſapientiæ laudē meretur. Publica diſſidia ludis ſimilia ſunt, quorum qui ſpectator tantùm eſt, abit, quando ſubitum eſt, ſed qui ludi aleam ipſe ſubit, deſerere eam non poteſt, quin pro victo plectatur.

Sed Villa-Regius æſtimabatur nihilominus ab utraque parte. Et quamvis æqui & civilitatis jura, iſtâ tempeſtate, nonniſi gladijs dividebantur

bantur, habita tamen ratio eſt facultatum ipſius, nec familia ejus obſidionis Pariſianæ ſenſit miſerias, amicis ſecretò ipſi neceſſaria vitæ ſubſidia, nonnũquam tympanis indita, ſuppeditantibus. Domus denique ejus apud Confluentem per quendam Patris cultorem, ſuum verò olim in ſtudiis commilitonē, cõſervata eſt. Cùm Pons Eſiæ caperetur, nonnemo ex regni Procerib⁹ omnem, quæ in Halincurtianâ Villa-Regii domo reperta eſt, ſupellectilem, in urbem benè munitam, deportari; pace verò factâ, eandem exquiſitiſſimâ curâ, integrā, proprijs currib⁹ ſuis, eò, unde aſportata erat, revehi juſſit, admirabili judicii ſagacitate præſentiens, neceſſariò tandem hæc omnia reddenda fore Villa-Regio, & futurum húnc denuò Magnum Regni Secretarium.

At

At licet ab Henrico Rege rigidiùs habitus videretur Noſter, nunquam tamen niſi gratam ejus memoriam habuit. Henricus Magnus mirum mihi aliquando Regis illius conſilium, ſtructum adverſus Ducem Alenſonium, referebat, mentionem ejus fieri cupiens in hiſtoriâ. *Nam neceſſarium eſt*, inquiebat, *quæ perperam fiunt à Principibus, annotari, ne ſucceſſores ingrediantur viam, quâ perditi ſunt, qui præceſsêre.* Obſecut⁹ ego Regi, comprehendi rem ſcripto, & Villa-Regii judicio ſubjeci. Ille negabat quicquam de eâ re audiſſe. Quod cùm Rex intellexiſſet, credere mihi, *inquit*, potes, verum eſſe, quod dixi, ſed & laudari Villa-Regius meretur, qui factum diſſimulat, metu lædendi majeſtatem Regij nominis. Quo pertinet quoque aliud Villa-Regij reſponſum, quod Regi dedit. Nam cùm

iſte diceret, neminem alium ad condendam ſui temporis hiſtoriam aptiorem eſſe, non audere ſe, reſpondit, quia nimis multùm ſit, quod memoriæ Henrici III., Domini olim ſui, debeat.

Sublato tragicâ horrendaque morte Henrico Rege, Villa-Regius ſine morâ ſucceſſori ejus Henrico Magno per unum ex intimis ipſius familiaribus referri juſſit, ſuo judicio bellum iſtud nonniſi cum regni exitio continuari, ſimul verò & Meduanio dixit, eâdem belli contumaciâ, Religionis, quam defendere velit, ruinam accelerari, augeri contra res eorum, qui religionem reformare ſint aggreſſi. Pacis deſiderio odium illorum hominum, quorum omne in turbido conſilium erat, conciliabatur Villa-Regio. Hiſpani calumniabantur ejusdem conſilia; Galli degeneres

Po-

Politicum appellabant. Ad extrema malorum redactæ erant urbes, & iſtis factionum ſtudijs augebantur miſeriæ, nihilominus illis nomen pacis adeò odioſum erat, ut pacifica ingenia tanquam infauſtas aves abominarentur.

Villa-Regij ingenio & alterius ſimul cujusdam prudenti generoſitati debetur illud, audax quidem, ſed ſaluberrimum Meduanii factū, quo ex ſedecim hominibus, qui auguſtam Parlamenti Pariſienſis auctoritatem furioſo contemtu violaverant, * quatuor ſuſpendi juſſit. Quâ eadem ſeveritate occultæ tyrannidis uſurpatorum alius * excuſſus eſt Caſtello Pariſiēſi, quo hactenus pro ſpoliario fuerat abuſus, ejusdemque arcis cuſtodia commiſſa eſt * viro ſtrenuo, ab ipſo etiam Henrico Magno, ob incorruptam fidem laudato. Egregios enim vi-

*Luſcari9, Anruxius, Emobot9, Amelinus, hi quatuor fuere. Vide Thuan. lib. 102. in an. 1591. pag. 197. edit. Genev.

* Buſius is erat.

* Burgus is fuit vid. Thuan. dict. loc.

ros iſte Rex, quantumvis partis adverſæ, æſtimare ſolebat.

Non eſt arduum navem regere, cùm ferentibus ventis impellitur. Ita conſilium dare, ubi periculi aut difficultatis nihil eſt, haud magnæ virtutis habetur. Bonum Gubernatorem tempeſtas, magna ingenia res arduæ oſtendunt. Talis Villa-Regius apparuit difficillimo hoc tempore, quo & dare conſilium, & abnuere, perinde periculoſum erat.

Duci Meduanio liberrimè dixit, ex triplici pretio, quo redimi Pax poſſit, unum eligendum, aut Regem reconciliandum, aut Catholicos omnes adverſus illum ſub idē caput colligendos, aut denique Hiſpani amplectendam protectionē. Tertiū periculoſum, Regni præterea legibus, & genio Gallorum adverſum; Alterum difficillimum;

Vide Thuan. lib. 108. in an. 1594. pag. 415. edit. Gen.

Prin-

Principibus ſangvinis, indivulſo nexu, domûs Regiæ honorem defendentibus. Primum itaque optimum fore, ſed hâc lege, ut Rex ſe adjungat Eccleſiæ Catholicæ; portam illi aperiente, qui claves Eccleſiæ gerit. Adeundam ſuper hoc negotio Regiam Majeſtatem magnâ & illuſtri legatione, idque publicè, ut excuſatiora deinceps arma ſint, ſi is fortè recta pacis conſilia reſpuat. Salubritatem conſilii tempus tandem, & experientia aperuit. Utinàm id ſine morâ libuiſſet ſequi. Sane evitatum fuiſſet diluvium ſangvinis, qui omnibus Regni venis fluxit, hoſteſque externi haud difficulter potuiſſent arceri. Sed quæ iſtis temporibus fecerit Villa-Regius, commonere velle, hoc fuerit hiſtoriã ſcribere. Satis eſt dicere, ipſius opus fuiſſe colloquium * Surennæ habitum, adjumentum in- *Vid. Thuan. lib 106. ab init.

 gens

gens converſionis Regiæ, & mox Induciarum, quas poſtea Pax, ut filiam Mater, ſecuta eſt. Nam & populus, ubi ſemel dulcedinem pacis perſenſerat, turbas averſabatur; partibus Meduanii indies magis magisque langveſcentibus, nulloque aliunde auxilio allucente. Unde & cæteri quique conſervandi ſui conſilia reſpicere cœpére.

Poſtquam converſus Rex eſſet, ejus ſe miniſterio addixit Villa-Regius. Atque ut Æneas aliquis excidio Trojæ elapſus, adduxit ſecum Patrem, filiumque*: ſimulque locum, magni momenti, & multa alia tracturum, Regiæ poteſtati ſubjecit. Nempe ſapientioribus non placebat cæterorum obſtinatio, qui, novo hoc Sole oriente, claudebant oculos, magnoque opere ac ſolennitate reduci ad obſequiū volebant, qui id ante nullo negotio excuſſerant.

*Is erat Carolus Neovillus, Pontis Eſiæ Præfectus.

Rex

Rex venienti munus primi Secretarij Statûs ſine morâ reddidit, ſtatimq; ordinatiùs procedere negotia ſenſit, magno animi ſui levamento. Crebra de eo vox Regis audita eſt: tantum negotiorum uno hoc die, dexteritate Villa-Regij, peregi, quantum ſex menſibus, alio miniſtrante, non peregiſſem. Nempe nullus caſus tàm inſolens, aut inexpectatus obvenire poterat, quin de eo quærenti Regi, ſententiam promptè dicere Conſiliarius iſte poſſet, eamque & rationibus juſtis, & exemplis firmare.

Mirabatur Rex tot rerum peritiam, quam ingenio complexus eſſet unus vir, idemque ſtudiis à pueritiâ minimè imbutus, neque librorum operâ unquam adeò uſus. Equidem ſi is tàm vividæ robuſtæq; indoli lumen artis & ſcientiarum addidiſſet, ad majorem haud dubiè

perveniſſet perfectionem. Nam, utcunque ſint, qui negent, certior praxi theoria eſt, & libri modico tempore monſtrant, quod experientia multorum annorum impendio vix docuerit.

Cum nemine unquam tractavit negotium, quin ſuperior abiret. Adfuêre exterorum Principum Legati, Viri eximij, & in negotijs penetrandis diſcutiendisq; divinæ cujusdam dexteritatis eſſe viſi, qui iidem tamen cum Villa-Regio commiſſi, quicquid ſubtilitatum afferrent, ariſtarum eſſe cuſpides ſentiebant ſolido illiſas, quicquid contra diſputarent, imaginationes plerumque pertinaces, quicquid artificio niterentur, formas inanes eſſe experiebantur.

Qui negotia adminiſtrant, omnes ad unum Scopum collineant, ſed alij alijs vijs, alij item citiùs alijs eò-

dem

dem pertingunt. Itali profundis meditationibus futura faciliùs præſentiunt: Hiſpani rerum præteritarum exemplis utplurimùm innituntur: Galli præſentibus plerumque inhærent. Cæterum prudentia tria ſimul tempora obſervat, & judicia ſua ex neceſſitate præſenti, utilitate ſeu damno præterito, futuri denique præſenſione moderatur.

Raras Villa-Regij dotes etiam ii, qui minus amant, agnoſcunt ac fatentur. Præcipuè integritatem, omni avaritiæ intactam, modeſtiam ſingularem, mores compoſitiſſimos, vigilantiam incredibilem, ſed luxui, novitatib⁹ & diſſolutioni inimicam. Quicquid ſcriptorum offerebatur, legebat, quicquid rerum, ſine dilatione expediebat; ita ut quovis die, ſe negotiis, menſam chartis exoneraret. Non ita noctem diei æqualem Sol arietem ingre-

grediens facit, quam in iſto viro dicta actionibus æquabantur. Summa porrò & animi & vultûs conſtantia aderat, ita ut vel lætiſſimis Curiæ rebus non magis hilaris intereſſet, quàm ijsdem vel maximè turbatis. Rumoribus non movebatur, nec timori niſi juſto, & evidenti ex causâ, patebat. Nam quidlibet paveſcere, puſilli animi eſt, nihil timere, ſtupidi. Plerumq; verò eâdem manu & mala inſtantia demonſtrabat, & eorundem ſimul ferebat remedia, adeò ut Rex amabili hâc dexteritate viri motus, diceret identidem: fateri oportet, non minus commodum ſuavemque, quàm bonum Miniſtrum eſſe Villa-Regium. Negotiorum causâ adeuntibus facilem ſe præbebat, patienter & citra turbationem confuſionemque quemlibet audiens. Nam & gravitas, quam primus acceſ-

ceſſus oſtendebat, màgnâ mox dulceſcebat humanitate, re utique hominibus negotia tractantibus perneceſſaria. Animis enim generoſis ſæpè vel ipsâ verborum, etſi nihil auferentium, ſvavitate ſàtisfit, qui contra aſperius accepti alienarētur. Porrò qui moribus difficiles, & implacidi, nec attendunt loquentibus animum, nec patientiam commodant, nec reſponſa, niſi cum bile reddunt, ſubinde ipſi Principi ſuo officiunt. Cujus omninò munus requirit, ut cognoſcat ſubditorū ſuorum neceſſitates, easq; adeò vel ipſe præſens, vel per Miniſtros intervenientes audiat, qui Principis oculi & aures ſunt. *Numquid ideò me electū eſſe putatis Imperatorem, ut velut intra capſulam clauſus deliteſcā*, dicebat olim Rudolphus, potentiſſimæ domus Auſtriacæ fundator.

In conſiliis præterea minimè præceps erat. Propoſuit ei aliquando Hen-

Henricus IV. negotium, quod minimè moram ferret. Id tamen frigidiùs accipere videbatur Villa-Regius. Rex miratus, cur non loqueris, inquit. Credebam, inquit alter, non ſermonibus hîc, ſed imperio opus eſſe. Idem Rex alio tempore, in quodam ad Principem ſangvinis pertinente negotio, requirebat judicium ejus. Reſpondit Villa-Regius, cùm ſuper conſangvineis ſuis deliberant Reges, non alio conſultore opus habent, quàm naturâ.

Eſt videlicet inter præcipua viri prudentis officia, dignoſcere poſſe, quibus in rebus conſilium dare, vel etiam recuſare debeat. Nam eſt, ubi tacere, ignaviæ ſit, loqui, temeritatis. Loqui autem aut conſilium dare, antequam requiratur, ſemper intempeſtivum eſt. Inter conſilia, quæ Villa-Regius dedit Henrico

IV.

IV. fuit hoc quoque, ad præcidendam belli materiã ſaluberrimum, quod Principem Condæum in aulam vocari, & in Religione inſtrui ſvaſit. Nam ita huic ſucceſſionis certior reddita fiducia extinxit in plerisq; ſiniſtra cogitationum, quibus prout in hanc vel illam factionem incubuerant animi, ita in ſpes metusve impellebantur.

Regibus equidem majeſtas ſua, aut certè dignitas nominis, etiam inter res turbidas manet. Attamen, ubi in partes diſceſſere Regni Provinciæ, unâ alterâve Regi adverſante, nec in cæteris obſequium ſatis viget. Quare Henricus, fervente bello civili, non pauciora conſilio, quàm vi ſibi agenda duxit. Atque hinc prius intra cubiculum pectora ſvavitate clementiæ, quàm, in campo, ſtrepitu armorum vincebat, hîc animis manuque, iſtic familiarita-

ritate validior Majeſtatis tùm non major lux vel cura erat, quàm ſtatuarum Minervæ apud Græcos, quæ durante * Plyntheriorum ſolennitate diripi ſolebant. Nec minor rerum confuſio in Curiâ, quàm Romæ olim, cùm Salii, Martis Sacerdotes, furibundis ſimiles, ancilia per urbem circumgeſtarent.

* Vid. Meurſii Græciam Feriatam lib. 5. pag. 229.

Sed & pace factâ ægrè diſcrimen & ordinem recipiebant, qui confuſioni inſveverant. Inſolentia enim, & neſcio quid indomitum ſpirans feritas, ſolita contumacium ingeniorum vitia, repugnabant adhuc legibus moderationis, ac reverentiæ.

Non erat ignarum Regi, quantum ſibi per iſta decederet. Nam ut nimia ſeveritas animos populi efferat, ita facilitas regentis authoritatem imminuit. Et Villa-Regius dicere ei ſolebat, *Principes curâ Majeſtatis remiſſâ, contemptui eandem & injurius*

juriis exponere. Deceſſores Regis, in maximâ rerum perturbatione, dignitatis tamen ſuæ retinentes fuiſſe. Tempus jam monere, ut ipſe quoq; Regio modo ſcriberet imperaretq;. Langvidiùs id hactenus videbatur factum. Verba edictorum literarumq; nimis examinata, & exquiſitâ quâdam moderatione, variorum genijs attemperata fuerant. Quippè non raro rogare Rex ſuſtinuit, quibus minari debebat, præmiis proſecutus eſt, qui pœnas meruerant, mitigavitq; beneficiis tales, qui crebro antea ipſum irritaverant. Sed deinceps jam diligentior Regi cuſtodia fuit majeſtatis ſuæ. Quippe obſtinatiſſimum queinque legibus diſciplinæ coërcuit, & multi eos, quos præcedere laboraverant, ſequi cogebantur. Nec multò poſt ille omnibus antehac obvius mixtusq;, adeò delicatus redditus eſt, ut qui-

vis, etiam minimus attactus offendere eum ſentiretur. Et fatebatur Rex ipſe poſtea, à Villa-Regio didiciſſe ſe, quomodo Regem agere deceat, & eà in re plùs ab hoc monſtratum ſibi intra ſex menſes, quàm anteà totis ſex annis ſciviſſet. Idem Rex interrogatus aliquando, an ſolemnia trium Regum, anno ineunte, feſtis epulis celebrare vellet, memor moniti Villa-Regiani dixit: *Plus jam ſatis copiâ Regum laboratum eſſe.* Antiochus Epiphanes, Aſiæ Rex eò, quòd Regiæ Majeſtatis incurioſior eſſet, ſtolidi cognomen obtinuit.

Neq; verò hâc in re melior Magiſter Regi contingere potuit Villa-Regio. Formandi enim Principem præcepta nonniſi à longâ regendi experientiâ proficiſci bona poſſunt, & cum pluribus Regibus vixiſſe oportet, qui regnantium functiones pe-

penitiùs ſcire velit. Nam privatorum vitæ officiorum ſpecimina quotidianus præbere uſus poteſt, Regum partes virtutesque nonniſi magnis occaſionibus eluceſcunt.

Olim Adaldagus *, & Caſpar Schlikius omnia Imperatorum munia rectiſſimè viſi ſunt intelligere, quia alter quinquaginta annis Ottonibus tribus, alter Sigismundo, Alberto & Friderico III. Imperatoribus à ſecretis conſiliis fuerat. Non minus inſtruere Principem potuit Villa-Regius, qui regnante Franciſco II. Regiam introſpexerat, negotia tractare ſub Carolo IX. cœpit, graviſſima tractavit ſub Henrico III. omnium conſcius, & quaſi arbiter fuit ſub Henrico quarto.

Adaldag 53. annorũ Cãcellari*, & ſimul Hamburg. Epiſcopus: Crantzius l.IV. Saxõ. Quanquã ſacrũ munus diu abſens Hermanno Billingo Duci Saxoniæ interim commiſit, tandem ex Italiâ reverſus, idẽ præſẽs adminiſtravit.

Qui quid fieri debet, docet, quid fiat, ignorare non debet. Quare inter regnantes & officiorum Magiſtros non magnum diſcrimen

 eſt,

eſt. Unum & eundem uterque finem ſibi habet propoſitum, ſalutē nempe regni, quia uterque ſervit publicæ rei. Ut de quidam ex Imperatoribus Romanis dixit: ſervire, qui regnent, & ſervitutem tribus finibus circumſcripſit: Servire quippe eos Senatui, dum conſilio ſe ſubmittant, ſervire omnib9, dum bonum publicum quærant, ſervire ſingulis, dum cuique jus dicant, & contra injurias patrocinētur. Quare qui benè ſervit Principi, ſcit benè ſervire publicæ rei, qui bonum miniſtrum Statûs agere novit, novit agere Principem. Idem eſt imperia dare, & ſuggerere, quid imperandum ſit: adeoque quicquid ad benè regnandum facit, id idem facit ad benè conſulendum regnantibus. Cum externis nunquam tractavit Villa-Regius, quin generoſitatem animi oſtenderet.

Non

Nonne cùm non bono loco res noſtræ viderentur eſſe, Patriarchæ Conſtantinopolitano dixit; tentaret ſi vellet, inter duos Reges vadū pacis. Cæterùm ne ſperaret eam Hiſpanus, niſi reſtitueret occupata. Loqui Regib⁹ de reſtituendo, nonne liti eſt frigidam affundere? Et tamen iſta pacis negotiatio per Belevreum & Sillerium Cancellarios ſat gloriosè in noſtram partem confecta eſt.

Cùm Roncaſius diceret, Sabaudiæ Duci deſiderium eſſe in Galliam veniendi: non gratus, inquit Villa-Regius, adventus erit Ducis, ſi perſtat illi mens retinendi ea, quæ tenetur reddere. De eodem Duce poſt tractatus Pariſienſes dicebat noſter: *expectamus, nunquid bonum tandem aliquod verbum Dux enixurus ſit.* Minantibus Miniſtris Ducis, Hiſpaniarum Regem, trajecto in Italiam exercitu, Nepotibus ſuis la-

turum ſuppetias. *Hoc ipſum eſt*, ait Villa-Regius, *quod expetimus, nam ſi rumpenda pax eſt, en cauſam Galli habebimus juſtam, & tantò compoſitiore, integrioreq; ludo certabimus.* Magnitudo Regni Gallici adeò illi curæ cordiq; erat, ut nemo difficilius perſvaderi potuerit ad commutandum Marchionatum Salucienſem cum Breſcianâ ditione, eò quòd nollet author eſſe Regi finium regni contrahendorum. Memor erat, Henrico III. pœnitudinem veniſſe conſilii, quo eidem Duci Pignerolum, Savillanum, & Peruſium, claves Delphinatus & Pedemontii reddidiſſet: Ducemq; Nivernienſem, ne rem magnitudini Gallicæ adeò adverſam promoveret, gubernatione potiùs Provinciarum trans Alpinarum decedere maluiſſe. Nempe inſignis iſte Princeps prævidebat jam tum, ſimul ut iſta por-

porta Gallis præcluſa fuerit, alteram per Griſonum terras non diu apertam manſuram.

Quando Principes ſeu armorum, ſeu alio jure, vel minimum aliquid alteri abſtulerint, difficulter id reddere ſolent, & ne reddant, communi omnium Principum Regulâ prohibentur, quorum nullus adeò teneræ conſcientiæ eſt, ut cum gravi injuriâ ac diminutione dominii ſui vicino commodare velit. Princeps potentiâ & virtute præſtans, quantumvis placidus ſit, perpetuâ fines ſuos extēdendi cupidine ducitur, nec eos niſi gladij ſui mucrone deſcribit. Ludovicū XI., cùm aliqui Picardiæ fines malè munitos eſſe dicerēt advers⁹ Anglos, reſpondiſſe ferunt, ne ſitis ſoliciti; longè ulterius fines meos deſcriptos habeo: nempe id volebat innuere, non iſtic ſibi cum Anglis bellum fore,

re, ſed in Scotiâ creaturum ſe iis negotium, ut pacatum teneret regnũ ſuum.

Sed quod animi generoſi robur externis oſtendit, eodem in reducendis ad obſequium ſubditis Regis uſus eſt. Ex ipſo didicere Regni Summates, magnitudinem ſuam in humili erga Deum obſequio, ſalutem in fide erga eundẽ conſiſtere. Et ut vel Primi Principes regni ſint, non ideò minus primos Regis Miniſtros eſſe debere. Cùm Rex Sedanum ire cogitaret, Poſſeſſor loci iſtiùs, plus clementiæ Regis, & ſuis meritis, quàm robori munimentorum fiſus, Villa-Regium alloqui cupiit, qui & adiit Ducem. Illis inter ſe colloquentibus, ajebat Rex, *aſperum Duci vertagum miſi*, Villa-Regii ſcilicet genium in talibus, cedere neſcium, indicans. Et is ſanè multis oſtendit Duci, nonniſi

cer-

certam ruinam ei imminere reſiſtere volenti, & unam ſalutis ſpem in modeſtiâ & obſequii promptitudine repoſitam eſſe.

Ille ſe & locum poteſtati Regis ſubmiſit, magno Villa-Regiani ingenii documento gloriaque. Plurimô quippe alij intentos huic negotio habebant oculos, nihil iſti Duci periculoſius eſſe exiſtimantes, quàm quod penes Regem haberet inimicos, ſangvinem ejus odio religionis,(Reformatam enim iſte Dux profitebatur,) in arâ Romanâ immolare ſvadentes. Cæterùm utilitatem Regiam adeò unicè ſibi propoſitam habuit Villa-Regius, ut propriarum penè rerum obliviſceretur. Unde factum eſt, ut parvâ admodùm acceſſione fortunas à majoribus acceptas auxerit, magno utique integritatis ſuæ documento. Equidem adeò diu-

turnum ejus miniſterium, adeò labores aſſidui, tanta quinq; Regum benevolentia erga ipſum fuit, ut divitias ſibi parare potuiſſe videatur, illius Romani opibus pares, qui flumina intra terras ſuas naſci & deſinere vidit. Pater ejus multas Præfecturas, Filius in Lugdunenſis Provinciæ Regimine vices diu tenuit, redditas ipſi ab Henrico IV. poſt mortem Gvichii, viri in exemplum generoſæ virtutis nati. Tandem & ſupremam provinciæ ejuſdem curam is accepit, poſtquam eâ Dux Vindocinenſis deceſſerat. Sed hæc omnia, ſi cum laboribus Villa-Regii comparentur, argumento ſunt, in Regum aulis non eâdem ſemper promptitudine penſari miniſtrorũ operas, quâ præſtantur.

HenricusMagnus eâ de re ita ipſe judicabat: *Varii pretii & generis ſervos habent Principes. Quidam proprias*

res

res Domini negotiis præhabent, alii Domini negotia agunt, ſed nec ſua tramittunt incuriâ. Villa-Regius Domini res pro ſuis habet, & eam iis curam adhibet, qualem cauſæ ſuæ litigantes aut vineæ villici impendunt.

Non poteſt grandeſcere imperium, cujus res agunt miniſtri, ſtudioſiores privati, quàm publici commodi. Sed viciſſim quoque Principem agere oportet rem miniſtrorum fidelium, ut animum liberum à curis habeant: quem non habebunt, quibus monſtrum paupertatis verſatur ob oculos. Prudenter Philippus II. Hiſpaniarum Rex Gomeſio, *cura*, inquit, *meum negotium, ego viciſſim tuum curabo.* Cùm idem poſtea magnas reliquiſſe divitias diceretur; *credebam*, dixit Rex mirantibus, *plura ipſum à me accepiſſe.*

Por-

Porrò exiſtimationis Regiæ nullus unquam ſervantior fuit Villa-Regio. Cum Legatis, ad exteros Principes ituris, mandata ſcriberentur, primò omnium Majeſtatis Regiæ cura illis commendabatur. Ne quicquam ſcilicet eâ dicerent indignum, aut dicta patienti aure tramitterent. Unde & literæ ita conceptæ erāt, ut agnoſci poſſet à Principe magno atque formidabili profectas, verbaque ipſa ita condiebantur, ut dignitatem Regii decoris præferrent. Privatim ubi ad aliquem ſcriberet, adſpergebat ſemper aliquid venuſtum, quodque indolem benè natam & in Regum Palatiis diu exercitam reſiperet.

Cæterùm id in flagrātiſſimâ Regis gratiâ erat, ita eâdem nunquam abutebatur Villa-Regius, nihilque magis cavebat quam illi gravis eſſe importunis flagitationibus. Quod ſi

ſi quando pro aliquo preces interponeret, ipſa ejus commendatio index erat meritorum illius, qui commendaretur. Ingenio erat ad benefaciendum facilis. Nocere autem potens magis, quàm cupidus, neque liberalitati Principis, ornare aliquem beneficio paranti, unquã intercedere ſolitus eſt. *De nemine benè mereri, Avari; impedire, ne alii benè mereantur, crudelis animi eſt.*

Multa autem præclara ingenia in tenebris delituiſſent, niſi Villa-Regius illa produxiſſet in lucem. Per illum nonnullis ad primos in Eccleſia honores adſcenſus patuit. *Quorum duos præcipuè in exemplum afferam, qui ad eandem dignitatem diverſis viis pervenére. Alter quippe literarum peritiâ, alter aulicâ prudentiâ emerſit.

* Hi ſine dubio ſunt Cardinales Peironius, & d'Oſſat. De Oſſati inititis & incrementis vide Thuan. lib. 92. ſub anno 1588.

Pri-

Primum dum commendaret, gnarus rerum quæ Romæ agerentur Villa-Regius, adeo illum primo adventu ſuo omnium oculos in ſe avertiſſe dicebat, ut Papa illico grādium beneficiorum honorumque ſpem ei fecerit. Quo audito, non cunctatus eſt Rex Pontifici canditatum hunc commendare, cujus ipſe etiam dexteritatē in converſione ſuâ, & colloquio Fontebellaqueo cognoviſſet.

Alter pariter Romæ adeò æſtimabatur, ut niſi externi natales obſtitiſſent, Papale faſtigium obtenturus fuiſſe crederetur. Is autem confiteri ſolebat inter amicos, ſe galerum Cardinalitium Villa-Regio debere. Cui non tàm merita ſua, quàm cupidinem Regi rectè ſerviendi, cōſiderare libuerit, & alij boni miniſtri paribus obſequiis ſuis par præmium promittere poſſent.

Si-

Similiter quoq; tria Galliæ lumina, Regni Sigillũ, Regiæ pignus juſtitiæ, favente meritis ipſorum Villa-Regio, obtinuiſſe ſe non diſſimularũt.

Præterita refricantium ac corrigere cupientium vehementia nunquam placuit noſtro: *Cùm prima lis ærarii quæſtoribus intenderetur, tacuit, ſed ubi primus fervor refrixerat, dexteritate ſuâ, quicquid contentionum ſupererat, extinxit, Regem monens, experientiâ ſibi cognitum, plus ſemper turbarum, quàm commodorum ex tali inquiſitionum calore ſuccreviſſe. Illis quippe, cùm ſint univerſales, innocentes juxta cum ſontibus corripi, & familiarum integrarum laceſſi quietem. Neque tamen ipſe etiam talia delicta non volebat emendari, ſpongiasq; adeò turgidas exprimi. Sed nempe metuebat, quod fieri plerumq; ſolet, ne reme-

* Vide de his Continuat. Thuan. lib. VIII.

remediis morbus aſperaretur. Optabat equidem is populo ſub onere tributorum gementi reſpirationem, Regibus verò noſtris eas opes, ut omnes illi inſolentes pecuniæ colligendæ modi aboleri poſſent. Sed nempe ſeditionibus noſtris multiplicatæ hæ miſeriæ, & advocatis harpyis peregrinis conflata bella ſunt, quæ geri ſine argento, finiri niſi pace non poſſunt. Pax verò armis, arma pecuniis, pecuniæ tributis habentur.

In extremis ſuis calamitatibus ad extrema remedia confugére Reges, & nempe prata noſtra, quoties viſum eſt, totonderunt. Malis augeſcentibus crevére ſimul onera. Philippus Longus eò aliquãdo redactus eſt, ut ex violentiſſimâ tempeſtate emergere cupiens, quintam partem redituum à ſubditis ſuis, ſine tem-

temporis perſonarumve diſcrimine, exigere cogeretur.

Fama integritatis tantam ei exiſtimationem conciliaverat, ut non verba tantùm ipſius, ſed ſilentium etiam cum curâ expenderetur. Fuit cùm quoddam conſilium magno conſenſu approbaretur à cæteris, omnia principum laudare, & eorundem vitia virtutes imperfectas dicere ſolitis. Villa-Regius tacebat. Quo animadverſo, Rex ſibi redditus, *multum*, inquit, *dum tacet, loquitur Villa-Regius*. Quantum ecce vel ſilens poteſt vir bonus!

Rex nihil unquam grave, niſi ejus conſilio, fecit. Ab illo & quid faciendum, & quid ex facto boni eſſet ſecuturum, haurire conſvevit. Sæpè auditus eſt dicere, *Villa-Regius dudum hoc monuit; Ita evenit res, ut Villa-Regius præviderat*. Cùm nunciaretur Regi, à Duce Sabaudiæ

manuum Poncaſio injectã eſſe; *in Albigniũ*, inquit noſter, *hoc expetet*. Evẽtus aſſeruit conjecturã, magno prudentiæ Villa-Regianæ argumento.

Sed futura is adeò perſpicaciter prævidebat, ut quæ de homine quodã vaticinatus erat, quindecim poſt annis evenerint. Prædixerat quippe, futurũ eſſe, ut honori ſibi Primi Proceres ducerẽt illi, ſurgenti adſiſtere. Qui tamen poſtea periit, quòd amicum non haberet, qui aurib⁹ ejus inſuſurraret verba, quibus Pericles ſeipſum quotidiè alloquebatur: *Cave tibi, Pericles; liberis hominibus imperas, cum Athenienſibus tibi negotium eſt.*

Unus ex veris amicis, quorũ inopiâ laborat plerumq; humana felicitas, retulerat Aulico iſti, quod à Villa-Regio Principi cuidã dictũ eſſet: obſervatũ ſibi in aulis fortunã, quò lentiùs accedat, plerumq; etiã abire tardiùs. Sed falſi amici nonniſi fabulis oblectant talium aures, &

va-

vanas mentes inani ventorum flatu implent. Generoſi roboris animi non patiuntur iſtis inanibus ſibi illudi; Leones eſſe crede, qui, quouſque oculi clauſi ſunt, alieno arbitrio ſeduci ſinunt, ſed ubi vires ſuas circumſpicere cœpêre, vim indomitam exſerunt. Iidem conſpergi floribus nonnunquam & in theatrum deduci ſuſtinent: Sed ubi in umbrà ſuâ, vel reflexâ ab aquis imagine, ſeſe agnovere, diſcerpere ſolent generoſitati ſuæ indecentem ornatum. Quippe qui non convenit, niſi boum ſtupori; qui ſe ita ad ſacrificalem aram duci patiuntur. Conclave Villa-Regii referebat quodammodo tabulam, in quâ univerſi orbis partes ſunt deſcriptæ. Iſtic typum omnium Chriſtianitatis molitionum ac conſiliorum videre erat. Nec facilè ulla Monarchia aut Reſpublica reperitur, quæ iſtic ſua non haberet nego-

tia. Academiæ erat inſtar, in quâ Principes ſangvinis, aliique diſcebant ea, quæ excuſatè, aut ſine noxâ neſcire non poterant. Huc confugiebatur, tanquam ad certiſſimum rationarium, & quaſi diribitorium cõtroverſiarum ſuper ordinis ac loci prærogativis, cynoſuram deniq; ceremoniarum actionumque maximè ſolennium auguſtarumque.

Nemo ingreſſus illud eſt, quin doctior inde exiret. Viri Politici inde regulas Statûs, Legati agendorũ præſcripta, Duces exercituum imperia, rectores Provinciarum jura poteſtatis petebant.

Conſilia ejus ad pacem conſervãdam adeò efficacia fuere, ut jam metuendum videatur, ne applicari quodammodò ad noſtrum poſſit, quod olim Sixtus IV. Papa Romanus dixit: pacem Italiæ cum Ga-

Galeatio, Duce Mediolanenſium, mortuam eſſe.

In conclavi Villa-Regii Henricus IV. fœdera ſua cum vicinis renovavit, bellum civile in Italiâ extinxit, pacem Hollandorum ſtabilivit, ſocios Germanos erexit, variaque ad trutinam expendit conſilia, quibus Regni hujus gloria aſſeri, & injuriæ vindicari poſſe viderentur.

In hoc ipſo quoque conclavi prima propoſitio facta eſt felicis matrimonii, quod Henrico IV. liberos dedit, veriſſima Regni hujus munimenta, aliorum vota ac ornamenta. Voluit ſcilicet cœlum, ut Hercules noſter poſt tot exantlatos, & præclarè finitos labores, in caſto requieſceret ſinu Mariæ, ex Franciſco, magno Duce Hetruriæ, & Joannâ Auſtriacâ, Ferdinandi Imperatoris filiâ natæ, principis vel

his duobus nominibus beatiſſimæ, quòd uxor eſt Henrici Magni, mater verò Ludovici Juſti. Non niſi per ipſam ſtetit, quin capiti ej⁹, poſt virtutis immortales laureas, primũ mundi diadema imponeretur. Sed Deus, qui eodem tempore illam ex graviſſimo eripuit morbo, antiquiſſimam Chriſtianitatis coronam ei reſervaverat.

Villa-Regius unus ex tribus fuit, quos Henricus Magnus accuratiſſimè, & verbis benevolentiæ, honoriſque plenis huic Principi commẽdavit: quique præter & contra judicia opinionemque omnium, ſeriem negotiorum in abruptam, Renique immotam quietem ſub magnæ hujus matris auſpiciis ſervarunt. Quamdiu conſiliis iſtorum authoritatem & firmamentum Regina præbuit, tranquillitas, abundantia & obſequium, tres felicis pe-

Imperii notæ apud nos floruere. Conſtantinus Magnus miratus dicitur tàm proſperè ab Alexandro Severo adminiſtratum regnum, quod is & juvenis, & peregrinus, quippe Syrus, adiiſſet. Sed reſponſum ei fuit, matrem ejus Mammeam, magnæ experientiæ & probitatis virorum, quales fuêre Ulpianus, Julius Paulus, Fabius, Sabinus, Pomponius, conſiliis uſam. Talium auxilio non poſſunt non benè cedere res, ſi inprimis accedat regimen, quale * Plotina, Trajani conjux, innuebat, cùm Palatium Imperiale ingrediens, verſâ ad populum facie; *Qualis*, inquit, *huc ingredior, talem me exire cupio.*

Recens adhuc Reginæ imperium erat, cùm quatere illud ſeditio cæpit: Sed eadem paulò poſt, non niſi uno capite præciſo, reſedit. Et

* De Plotinâ iſtâ ita narrat Xiphilin' in Trajano *pag. 242. edit. Hen. Stephani*; Hujus (Trajani) uxor Plotina cum primū ingrederetur in Palatiū, eſſetq; adhuc in gradibus, converſa ad multitudinem, *talis*, inquit, *huc ingredior, qualem me exire cupio*. Ea quidē ſic ſe geſſit in principatu, ut juſta reprehenſione caruerit.

ſeveritatis hoc exemplum Villa-Regius neceſſarium judicavit, etſi ad oblivionem potiùs quàm pœnam criminis affinitate ſangvinis invitaretur. Inſiſtebat illa initio tàm firmiter conſiliis Villa-Regii, ut magnam partem publicæ felicitatis in iis ponere videretur, quemadmodum Athenienſes olim Ariſtidem *felicitatem Græciæ* appellavêre. Si deinceps iisdem pariter acquieviſſet, primi motus, quibus regimē ejus ſollicitatum eſt, in herbâ fuiſſent ſublati. Neque alter tumultus fines tranſiiſſet, niſi colloquium cum Condéo Principe fuiſſet interpellatum.

Affectum quo virum hunc Reginâ proſequebatur, morbus etiam ejus poſtea aperuit. Non eum tantum inviſere eum dignata eſt, ſed inter vota, quæ pro mariti animâ & vitâ Filii facere ſoleret quoti-

tidiè, ſanitatem etiam Villa-Regii eſſe dixit.

Qui guſtum ita depravatum habent, ut dulcia acerbis, ſapida inſipidis poſthabeant, & in ſermone, nulla re alia magis, quàm felle Satyrico capiuntur, dicent haud dubiè, tot virtutum eminentium pulcherrimos colores, in vita Villa-Regii eniteſcentes, appoſitâ objectorum ipſi vitiorum umbra excitandos, accendendosque eſſe. Et iſta equidem non officiunt gloriæ viri, quemadmodum pulvis operit magis pictæ imaginis, quam corrumpit lumen. Sed qui ſatis fieri ſibi in iſtis cupiunt, eos ad duas apologias ablego, quibus fama Villa-Regii ab objectis maculis purgatur.

Fateor, viros etiam perfectos defectibus plerumque ſuis laborare. Et in noſtro nonnulli exceſſum

gra-

gravìtatis notârunt. Non ignorabat ſcilicet rarum & eminent prudentiæ faſtigiū, ad quod ipſum experientia ſupra alios evexerat, ejusque ſanè retinentior eſſe viſus eſt, quoties cum excellentibus cujuscunq; generis viris negotium ei intercederet, & delicati admodùm ſensûs, ubi quisquam judicio ejus contrairet; triumphans contra, ubi vincere conſilia ſua videret, atq; ideo nec promere ſententias ſolitus, niſi cùm ſciret certò, fidem aſſenſumque habitura. Venit mihi in mentem dicti, quo Condeus, & Sveſſionenſis ipſum à Regiâ Matre miſſum, ut in aulam eos intentiſſimis precibus revocare niteretur, ſpecie laudis perſtrinxêre: *Solus ille*, inquiunt, *Principi bonum, generoſum, liberumque conſilium dare idoneus eſt, ſed adeò anteire aſſvevit, ut ſequi, niſi invitus & indignabundus non poſſit.*

Ni-

Nimirum ſi quis theatrum conſcenderit primus, non facilè nec ſine ſtomacho inde deſcenderit, ut cedat poſtremùm venientibus. Ita iis, quibus in conſiliis principum ætas acta eſt, moleſtum accidit primas ibidem partes aliis dare.

Perpetuò illis in animo eſt, quod Cteſiphon Æſchini dicebat: *tu ludebas, ego ludi impenſam faciebã, tu ſcribebas, quæ ego loquebar, tu luctator glorioſus, ego ſine laude ſpectator, tu ſaltabas, ego ſibilabam, tu tuum negotium agebas, ego publicum.*

Matrimonium hodierni Regis non leve Villa-Regio odium concivit, apud illos potiſſimum, quorum animis rebusque Regnum Hiſpaniæ Cometæ inſtar formidabile erat. Ex hoc utique tempore optima ejus conſilia atro calculo, ſuſpicionibus, & calumniis impeti cœpere, Nempe quemadmodum Her-

Hercules, & ſi Jovis filius inter Deos nonniſi poſt Hydram domitam relatus non eſt: ita noſter pro oraculo Regni non antè fuit habitus, quàm monſtrum calumniæ ſuperâſſet. Verùm ut idem Hercules maledicta adeò levipendit, ut & ſacrificium inſtituerit, ubi non aliter, quàm per convicia adorari voluit: ita Villa-Regius irriſit calumnias, & amicis dicere ſolitus eſt, iſtud genus dæmonii nonniſi contemptu expelli.

Afferebatur illi faſciculus Aureliæ intercept⁹, quem adverſarii ejus multis querelis & exprobrationibus, famam lædentibus refertum, ad conventum Thorineſienſem deſtinaverant, illud inprimis de matrimonio Regio conſilium acerbiſſimè perſtringentes. Villa-Regius publicavit illum, cùm penitus abolere potuiſſet, pulchro ſanè,

nè, aliisque imitando fidei exemplo, ne literæ ſententiæque ſupprimantur, etiam cùm honori vel fortunis aliquod inde periculum inſtare vulgò videatur. Oportet enim Principes de omnibus reddi certiores, & illius utilitati cunctæ privatæ ſtimulationes cedere debent. Lectus eſt libellus in conclavi ſecretiori admirantibus cunctis firmitatem mentis, quæ tot ictus in facie Regis, Reginæ Principū, aliorumque Miniſtrorum intentatos immota exciperet, diſcuteretque. *Debilis animi, aut pudoris inglorii eſt moveri injuriâ, quâ ſcias tangi te non poſſe, multò minus lædi.* Confici res iſta ſolo mentitionis objectu poteſt.

Fortuna, quæ olim Scævolam flammâ, Fabricium paupertate, Rutilium exilio exploravit, Villa-Regii animum iis machinis oppugnavit, quibus ſublevari debuit. Odium

dium nempe noſter incurrit propter datum ineundi cum Hiſpaniâ novi nexûs conſilium: ſed non minus culpabatur ab aliis, quòd idem poſtea, cùm conditiones diſplicerent, irritum fieri vellet. Certè cùm Picardiæ præfecturam Normandicâ commutari nollet, uno momento omne favoris lumen, quaſi ecclypſi quadam, illi interceptum eſt. * Recepit itaque ſe in domum ſuam, quam apud Confluentes habuit, iſtic vitæ, reciproco fluxu ac refluxu hactenus agitatæ, reſiduum quaſi in portu tranſigere parans. Ac jamdudum de tali ſeceſſu cogitaverat, diſſimilis eâ in re aliis Curialibus, qui quò diutiùs in aulis verſati ſunt, eò ægrius inde avelluntur: gnari nempe, ſtellas ejusmodi, quoties Sphærâ ſuâ excidant, protenus influxu à ſole motuque & lumine ſuo privari.

Vid. Cõtinuat. Thuani lib. 7. ſub Anno 1614. mihi pag. 399 Et Gramond. lib. 2. p. 93.

* Arte & potentiâ Ancræi, ſeu, ut alii appellant, Anchoritani Marchionis, aulâ removetur Villa Regius, quod ille per hunc Picardi arce præcipuâ dejectũ ſe credebat. Vid. Gramond. lib. 2. p. 116. 117.

Sed

Sed non diu illum Aula ſolitudinis deliciis paſſa eſt frui. Monitus eſt paulò poſt, negotiis publicis abſentiam ipſius obeſſe, & congregatos Pariſiis Regni Ordines ægrè ferre, Filii regnantis conſiliis non adeſſe eum, qui patri adeò benè ſerviiſſet. Bonorum judicia ulteriùs progrediebantur, & nempe navem publicæ ſalutis periclitari aſſeverabant, quòd in eâ peritis gubernatoribus non eſſet locus. Ac quæ enimverò, pergebant illi ſecuritas ſit in tali confuſionum ſalo? Et quis manū regimini admovere vellet, Ariſtide ita malè habito? Ariſtoteles iſtic eſſe metuit, ubi Socrates condemnatus eſt.

Rediit itaque ille ad primum Reginæ mandatum in aulam, conteſtans, nunquam ſe retardati commodi Regii cauſam fuiſſe, neque extinctum apud ſe, aut refrigeratum

tum, ſenſu injuriæ, ſuum erga Principem fervorem. Dicere præterea ſolitus, *non eſſe prudentis Miniſtri, ab irato Domino diſcedere.*

Redux verò non eandem gratiam experiebatur, nempe aliqua iſtic, quæ devorare debuiſſet, diutiùs mandebat; ægris potiſſimùm oculis nonnullos præcedere videns, qui olim honori duxiſſent ſequi poſſe Villa-Regium. Interim neceſſitas tamen deſiderabilem eum faciebat aulæ, adeoq; & nunc à Reginâ negotiorum causâ Creolium & Claromontum * miſſus, poſteaque ipſam ſecutus eſt in Aquitaniam. Equidem viris magnis, & ad negotia natis non oportet otium permitti, & tales ne ſenectus quidem a Comitatu Principis juſtè excuſaverit. Sed ſi ſexageſimo tertio ætatis anno ducenta milliaria violentiſſimo cœli æſtu, & inter ſumma ab hoſtiū in-

* Vide de hoc itinere Gramondũ lib. 2. pag. 97. & 104. 105.

inſidiis pericula conficere, ſi remetiri eadē immitiſſimâ hyeme neceſſe eſt, neſcio utique, quæ ætas conſecranda ſit quieti.

Villa-Regium præter feſſam, & jam morbo inſuper langvidam ætatem, ſuperioris anni itinera Pictavium, & in Britanniam ſuſcepta, excuſare jam potuiſſent. Sed hujus alterius profectionis cauſa adeò valida, labor verô tàm honorificus, & officium tàm neceſſarium videbatur, ut gratiam ſibi itineris facere nollet, *Miniſtro non inquirendum eſſe* dicens, *quo mittatur, ſufficere ei mandati Regii, vel etiam comitatûs honorem. Neq; malè illius quam eſſe, ubi Domino benè ſit.*

Habēt grandia ejusmodi itinera moleſtias & difficultates plurimas, & ne magnates quidem, etſi melius ſibi conſulere valent, ab omnibus immunes ſunt. Præterea quæ

 à ju-

à juvenibus per ludum & jocum profligari poſſunt, ſenibus ægerrimè tolerantur. Atque eam potiſſimùm ob cauſam Budæus, quem Franciſcus I. ſecretorum ſuorum participem eſſe voluit, ut proximũ ſibi ſemper, & in fugandâ ignorantià barbarieque auxiliatorem haberet, vitam aulicam moleſtam, ærumnoſam, perplexam vocat. Relegi viri Epiſtolam ſæpius, quam Latinè ſcripſit ad filium, excuſari ſe volens amicis, epiſtolarum editionem poſtulantibus.

* Epiſt. Budæi lib. 4. mihi p. 345. Filius appellabatur Draco.

*Ita autem ille ſcribit ad Draconem Budæum filiũ: *Gratum eſt mihi, Draco fili, quòd velut gentilitii nominis ſtudioſus, enixè à me contendis, ut epiſtolis ſcriptitandis volumen tandem juſtum abſolvam, quod paucis annis inchoatum eſt. Id quod cùm ſponte meâ facere aliquando in animum induxiſſem, tamen nonnihil animũ ipſum, quaſi jam*

remiſ-

*remiſſum & ſocordem, hujus vitæ labo-
re, & velut ærumnâ quâdam ambitionis
tibi fratribusq; obeundâ, ſemifractum
exuſcitat & acuit ingenua & commenda-
bilis exhortatio tua. Verùm id quò nimus
factitē, non tam aulica negotia, (quanquā
non pauca in commentari volentem medi-
tantemq; incurrunt,) quàm incommodi-
tas efficit multifaria, locique inprimis i-
dentidem mutandi neceſſitas. Quoto e-
nim die, hebdomade dierum jam alterâ,
licuiſſe mihi putas, aut in mentem veniſ-
ſe, ut vel lectioni ſedentariæ, vel ſcri-
ptioni incumberem? quippe cùm nec ho-
ſpitiorum anguſtia, & opacitas, præſer-
tim turbâ miſcellaneâ circumſtrepente,
hoc admittat, nec curſitandi neceſſitas,
partim ad Regis prætorium, quod plus
minus mille paſſus nunc abeſt ab hoſpitio
meo, (ſi tamen id hoſpitium eſt, cum vil-
licis, cum equis meis, cum avibus villa-
ticis eodem in cubiculo verſari, cortaliq;
conventu, noctu gallinaceis vigilias no-*

 ctis

ctis accinentib⁹,)partim ad alienas mēſas, & quaslibet ventitandi, quibus quaſi ſupparaſitari nonnunquā neceſſe eſt, cùm ſpes omnis honeſtior, ut ſunt aulæ fortuita, decollavit: nec cauponulæ præſtò ſunt, quas adire citra ignominiā honeſtiores poſſint: diverſari enim nobis neceſſe eſt in gurguſtiis ſemirutis, interdum atq; perpluentibus, in quibus ſupellex ſæpè nulla niſi Cinica viſitatur. Quibus in moleſtiis juvat me aliquando in ætate jam ſegniore & remiſsâ permulta experiri, quorum hactenus inſolens, & prorſus inſcius fueram, & qui copioſam plerumq; vitam, certè nunquam non inſtructam civili victu traduxi & compoſito, nunc inopiam ferre condiſco, & paupertatis utor contubernio, id eſt, oculis & uſu, omniq; ſenſu iis aſſveſco, quæ dū domi atq; in urbe animo meo obſequebar, ſtomachum mihi vel intuenti tantùm è longinquo moviſſent; usque adeò rudis & ignarus eram rerum

hu-

humanarum, in quibus vita verſatur. Vale.

Si Budeus, vir inter eruditi ſeculi principes numeratus, & Athenas in Galliam dictus intuliſſe, idemq; porrò ſupplicum libellorum, idq; eo tempore, quo nonniſi octo tales erant, Magiſter, tot moleſtias pertulit, delicatum eſſe oportet, qui Curiam ſequens, de ſorte ſuâ queri ſuſtineat.

Prima verò pacis quaſi lineamenta cùm Burdigalæ Villa-Regii dexteritate ducta eſſent, idem Pictavii inducias pepigit, poſtea Juliodunum * profectus ad pacis tractatus continuandos. Quâ negotiatione nulla unquam intricatior extitit, ob multitudinem eorum, quorũ iſtic res diverſiſſimis ſtimulationibus agebatur.

* Vide Gramondum lib. 11. pag. 111. in anno 1616.

*Hi erant Briſſacus, Jacob. Auguſt⁹ Thuanus, & Pōcaſtræus.

* Mareſchalcus Galliæ, princeps tum erat Legationis, cui præter Villa-Regium duo præterea Conſiliarii Status aderant. Cæterùm quæ in iſtis tractatibus diſſeruit Villa-Regius, Scholia & commentaria erāt, ex quibus, obſcuriſſimis quibusque civilibus controverſiis lux afferri poteſt. Unus ex collegis ejus laudabili curioſitate dicta ipſi⁹ omnia publica & privata annotavit: Et quam ipſe tum fecit, Epitome continet res multas ſingulares, utilesq́;, ita ut ſine damno hiſtoriæ ignorari non poſſint.

Julioduno reverſus, Reginæ ſpinas oſtendit, quæ pacis negotium remorarentur. Nec diſſimulavit querelam Principum, malè ferentium, quod Rex penè extra conſcientiam rerum ad regnum pertinentium, haberetur. Sed & ipſe Regi dixit, *tempus eſſe, ut publicis & ſeriis*

ſeriis amœna ac ludicra poſthaberet, monens ſimul, ubi Reges res ſuas negligant, intrudere ſe identidem alios, qui eaſdem ſuo ductu agant, turbentq́. Atque ab hâc inprimis ſcintillâ excitatum eſt in pectore Regio propoſitum, induendi perſonam, ad quam natus eſſet.

Equidem ſupra vires Principis eſt facere omnia, at nihil facere, pudendum. Apud Perſas Cubiculi Regii antiſtes, manè lecti ſipario diducto, dicere ſolebat: *ſurge Domine, & diſpone res, quarum curam Deus tibi commiſit.*

Hiſtoria iſta diluculi mentionem bono judicio addit. Neque enim Reipubl. invigilat, qui adulto jam die ad negotia accedit. Vigilantia autem cum Dignitate Regali iisdē natalibus orta eſt: Oculus illa eſt, ſceptro Ægyptiorum impoſitus. Poſſitne oculus indormiſcere, in

apice baculi, aut ſuper lanceæ mucrone collocatus? Principes eorumque miniſtri vigilare tenentur, ut alii dormiant. Atque ut res imperii melius intelligant, ſæpè & cum pluribus loqui de iis debent, ne ſalutem publicam unius judicio ſubjiciant: quemadmodum Alexander Severus in rebus bellicis militiæ Præfectos, de præmiis & pœnis, Judices, de exemplis veterum imitandis vitandisve, Eruditos, de religione, Pontifices conſulebat.

Si ullæ aulicorum hominum jucunditates ab invidiâ, ſuſpicionibus, moleſtiis immunens eſſent, maximâ utique & perfectiſſimâ Villa-Regius voluptate frui debebat, * poſtquam Juliodunenſi pacificatione miſerabile illud, & omnibus meritò deteſtatum bellum profligâſſet. *Omne quippe bellum malum maximum, & Regnorum quidam* *qua-*

*Pax Juliodunenſis. Vide Continuator. Thuani l.9. pag. inprimis 634. & ſeqq. ſub Anno 1616.

quaſi morbus eſt: uti contra eadem Regna naturali ſuâ temperie gaudere videntur, cum pace gaudent. Unde non minus peccant Principes, tutæ honoræque pacis occaſionem amittentes, quàm qui impetu inconſulto ſe injuſto bello ſuosque implicant.

Verùm quòd in illâ pacis negotiatione publicum magis egregium quàm privatum nonnullius commodum ſpectaverat noſter, magnum inde aulicæ gratiæ frigus ſecutum eſt*; & mox eò excrevit odium, ut ipſo vivente & vidente functiones honoresque ipſius alieno arbitrio dividerentur. Ille nihilominus in hoc quaſi præcipitio ſolitam retinuit conſtantiam: ſimilis coloſſo, qui in foveâ poſitus, nihil de altitudine ſuâ deperdit, etſi minus videatur.

*. Gramõd. lib. II. p. 136. edit. Toloſan. anno 1543.

Ille itaq; horas, negotiis ante impenſas, pietati jam dabat, & quo tempore antehac à Regibus audiri ſolitus fuerat, eo nunc concionibus audiēdis vacans, Deum, quem hactenus in Aulâ quæſiverat, tandem in ſolitudine veſtigabat reperiebatque. Nimirum difficilis eſt Babylonis cum Hieroſolymis conjunctio; interim ita agendum eſt, ut ſi intra Babylonem vivere neceſſe ſit, unam tamen animæ feneſtrā Hieroſolymis obverſam apertamque habeas.

* Cædem Ancrei ſeu Anchoritani hîc author intelligit, de quâ vide continuat. Thuan. l. mihi 10. p. 745. Gramond. lib. 2. p. 157. 158. 159.

* Cæterum poſt memorabilem illum ictum, quo diu jactata hactenus Regni navis in portum tranquillitatis pervenit, illicò arma de manibus Principum excuſſa, & conſiliis tertiæ factionis remora injecta eſt. Rex Villa-Regium eâ de re monitum, protinus in Luparam vocat, & tanquam in ſinum ejus

ejus & ſe, & regni negotia deponens, ſimul mox literas monſtrat, quas ad rectores Provinciarum deſtinaverat. Approbavit eas Villa-Regius, uti & ſcriptæ erant bono judicio viri inſignis, qui fidem Regi & patriæ debitam omnibus aliis vinculis præferens, magno animo, & mirificâ dexteritate annis duobus grande iſtud & periculoſum conſilium direxerat.

Quia verò aliquandiu negotia publica orba fuerant regimine, remotis ſcilicet inde miniſtris veteribus, * & tres principes Regni Magiſtratus in unius hominis manum devenerant, primò omnium Villa-Regius ſvaſit Regi, ut reſtitutis, * qui dejecti eſſent muneribus ſuis, prior facies dignitatibus, & negotiorum miniſtris redderetur.

* Vide de his Continuat. Thuani l. X. p. mihi 749 ſub anno 1617.

* Gramōd. lib. 2. pag. 136. 137.

Rex

Rex vehementer lætatus eſt reditu Cancellarii, * ſicut abeuntem multo dolore proſecutus fuerat. Regina pariter diſceſſui tùm ejus, & Blœſis habitæ valedictioni largiter illachrymata fuit. Adeò utrique moleſta acciderat mutatio. * Sigilli quoq; cuſtodem, qui non minori promptitudine ac libertate paulò ante reddiderat dignitatem, quàm olim acceperat, reſtituit Rex, non ſine multâ commendatione virtutis, atque inprimis juſtitiæ, curſum ſuum non minore conſtantiâ tuentis, quàm Euphrates fluvius, quem nec altiſſimorum montium occurſus deflexerit.

* Hic fuit Sillerius.

* Is fuit Værius.

Summus ærarii Præfectus, quâ cæperat integritate, ſed majore jam poteſtate continuabat adminiſtrationem. Cuſtodia rationum reddita eſt illi, qui eam ab Henrico Magno acceperat, homo candidi,

atque

atque incorrupti animi, digniſſimusq; adeò ſummæ exiſtimationis fructu, quem prorſus voto parem tàm domi ex conſcientiâ, quàm ex publico omnium conſenſu capit.

* Poſtea Rothomagum profectus, Villa-Regius, multis ſalutaribus conſiliis conventum iſthic habitum juvit, nec diſſimulavit dolorem, quem caperet ex morbis publicis, ne tàm acri quidem Regni criſi ſatis adhuc curatis. * Cæterùm iter iſtud eâ lege ſuſceperat, ut inde reverſus, nihil aliud porrò quàm noviſſimum & fatale illud iter cogitaret, omnibus Aulæ & Urbis turbamentis valere tandem juſſis. Ita feſſi laboribus animi portum denique reſpiciunt, nec ſine ratione Roma inter tot fabuloſa numina, Quietem etiam templo honoravit. Noſter mortem adeò

* De hoc conventu vide Continuat. Thuan. l. X. mihi p. 803. 804. & ſeqq.

* Gramond. lib. 3. p. 180.

ctis accinentib⁹,)partim ad alienas mẽſas, & quaslibet ventitandi,quibus quaſi ſupparaſitari nonnunquã neceſſe eſt,cùm ſpes omnis honeſtior, ut ſunt aulæ fortuita, decollavit: nec cauponulæ præſtò ſunt,quas adire citra ignominiã honeſtiores poſſint: diverſari enim nobis neceſſe eſt in gurguſtiis ſemirutis, interdum atq; perpluentibus,in quibus ſupellex ſæpè nulla niſi Cinica viſitatur. Quibus in moleſtiis juvat me aliquando in ætate jam ſegniore & remiſsâ permulta experiri, quorum hactenus inſolens, & prorſus inſcius fueram, & qui copioſam plerumq; vitam, certè nunquam non inſtructam civili victu traduxi & compoſito, nunc inopiam ferre condiſco, & paupertatis utor contubernio, id eſt, oculis & uſu, omniq; ſenſu iis aſſveſco, quæ dũ domi atq; in urbe animo meo obſequebar,ſtomachum mihi vel intuenti tantùm è longinquo moviſſent; usque adeò rudis & ignarus eram rerum

hu-

humanarum, in quibus vita verſatur. Vale.

Si Budeus, vir inter eruditi ſeculi principes numeratus, & Athenas in Galliam dictus intuliſſe, idemq; porrò ſupplicum libellorum, idq; eo tempore, quo nonniſi octo tales erant, Magiſter, tot moleſtias pertulit, delicatum eſſe oportet, qui Curiam ſequens, de ſorte ſuâ queri ſuſtineat.

Prima verò pacis quaſi lineamenta cùm Burdigalæ Villa-Regii dexteritate ducta eſſent, idem Pictavii inducias pepigit, poſtea Juliodunum * profectus ad pacis tractatus continuandos. Quâ negotiatione nulla unquam intricatior extitit, ob multitudinem eorum, quorũ iſtic res diverſiſſimis ſtimulationibus agebatur.

Vide Gramondum lib. II. pag. III. in anno 1616.

ſeriis amœna ac ludicra poſthaberet, monens ſimul, ubi Reges res ſuas negligant, intrudere ſe identidem alios, qui easdem ſuo ductu agant, turbentq́. Atque ab hâc inprimis ſcintillâ excitatum eſt in pectore Regio propoſitum, induendi perſonam, ad quam natus eſſet.

Equidem ſupra vires Principis eſt facere omnia, at nihil facere, pudendum. Apud Perſas Cubiculi Regii antiſtes, manè lecti ſipario diducto, dicere ſolebat: *ſurge Domine, & diſpone res, quarum curam Deus tibi commiſit.*

Hiſtoria iſta diluculi mentionem bono judicio addit. Neque enim Reipubl. invigilat, qui adulto jam die ad negotia accedit. Vigilantia autem cum Dignitate Regali iisdē natalibus orta eſt: Oculus illa eſt, ſceptro Ægyptiorum impoſitus. Poſſitne oculus indormiſcere, in

quaſi morbus eſt: uti contra eadem Regna naturali ſuâ temperie gaudere videntur, cum pace gaudent. Unde non minus peccant Principes, tutæ honoræque pacis occaſionem amittentes, quàm qui impetu inconſulto ſe injuſto bello ſuosque implicant.

Verùm quòd in illâ pacis negotiatione publicum magis egregium quàm privatum nonnullius commodum ſpectaverat noſter, magnum inde aulicæ gratiæ frigus ſecutum eſt*; & mox eò excrevit odium, ut ipſo vivente & vidente functiones honoreſque ipſius alieno arbitrio dividerentur. Ille nihilominus in hoc quaſi præcipitio ſolitam retinuit conſtantiam: ſimilis coloſſo, qui in foveâ poſitus, nihil de altitudine ſuâ deperdit, etſi minus videatur.

*. Gramōd. lib. II. p. 136. edit. Toloſan. anno 1543.

Ille itaq; horas, negotiis ante impenſas, pietati jam dabat, & quo tempore antehac à Regibus audiri ſolitus fuerat, eo nunc concionibus audiēdis vacans, Deum, quem hactenus in Aulâ quæſiverat, tandem in ſolitudine veſtigabat reperiebatque. Nimirum difficilis eſt Babylonis cum Hieroſolymis conjunctio; interim ita agendum eſt, ut ſi intra Babylonem vivere neceſſe ſit, unam tamen animæ feneſtrā Hieroſolymis obverſam apertamque habeas.

* Cædem Aucrei ſeu Anchoritani hîc author intelligit, de quâ vide continuat. Thuan. l. mihi 10. p. 745. Gramond. lib. 2. p. 157. 158. 159.

* Cæterum poſt memorabilem illum ictum, quo diu jactata hactenus Regni navis in portum tranquillitatis pervenit, illicò arma de manibus Principum excuſſa, & conſiliis tertiæ factionis remora injecta eſt. Rex Villa-Regium eâ de re monitum, protinus in Luparam vocat, & tanquam in ſinum ejus

ejus & ſe, & regni negotia deponens, ſimul mox literas monſtrat, quas ad rectores Provinciarum deſtinaverat. Approbavit eas Villa-Regius, uti & ſcriptæ erant bono judicio viri inſignis, qui fidem Regi & patriæ debitam omnibus aliis vinculis præferens, magno animo, & mirificâ dexteritate annis duobus grande iſtud & periculoſum conſilium direxerat.

Quia verò aliquandiu negotia publica orba fuerant regimine, remotis ſcilicet inde miniſtris veteribus, * & tres principes Regni Magiſtratus in unius hominis manum devenerant, primò omnium Villa-Regius ſvaſit Regi, ut reſtitutis, * qui dejecti eſſent muneribus ſuis, prior facies dignitatibus, & negotiorum miniſtris redderetur.

* Vide de his Continuat. Thuani l. X. p. mihi 749 ſub anno 1617.

* Gramõd. lib. 2. pag. 136. 137.

Rex

Rex vehementer lætatus eſt reditu Cancellarii, * ſicut abeuntem multo dolore proſecutus fuerat. Regina pariter diſceſſui tùm ejus, & Blœſis habitæ valedictioni largiter illachrymata fuit. Adeò utrique moleſta acciderat mutatio. * Sigilli quoq; cuſtodem, qui non minori promptitudine ac libertate paulò ante reddiderat dignitatem, quàm olim acceperat, reſtituit Rex, non ſine multâ commendatione virtutis, atque inprimis juſtitiæ, curſum ſuum non minore conſtantiâ tuentis, quàm Euphrates fluvius, quem nec altiſſimorum montium occurſus deflexerit.

* Hic fuit Sillerius.

* Is fuit Værius.

Summus ærarii Præfectus, quâ cæperat integritate, ſed majore jam poteſtate continuabat adminiſtrationem. Cuſtodia rationum reddita eſt illi, qui eam ab Henrico Magno acceperat, homo candidi,

atque

atque incorrupti animi, digniſſimusq; adeò ſummæ exiſtimationis fructu, quem prorſus voto parem tàm domi ex conſcientiâ, quàm ex publico omnium conſenſu capit.

* Poſtea Rothomagum profectus, Villa-Regius, multis ſalutaribus conſiliis conventum iſthic habitum juvit, nec diſſimulavit dolorem, quem caperet ex morbis publicis, ne tàm acri quidem Regni criſi ſatis adhuc curatis. * Cæterùm iter iſtud eâ lege ſuſceperat, ut inde reverſus, nihil aliud porrò quàm noviſſimum & fatale illud iter cogitaret, omnibus Aulæ & Urbis turbamentis valere tandem juſſis. Ita feſſi laboribus animi portum denique reſpiciunt, nec ſine ratione Roma inter tot fabuloſa numina, Quietem etiam templo honoravit. Noſter mortem adeò

* De hoc conventu vide Continuat. Thuan. l. X. mihi p. 803. 804. & ſeqq.

*Gramond. lib. 3. p. 180.

adeò aſſiduò jam meditabatur, ut filium quoque ſuum, Lugdunenſem Præfectum per literas moneret, manè ut ageret ſecum, ſi quid opus eſſet, nempe haud ſecurum ſe eſſe innuens de vitâ in veſperam producendâ.

Inter ultima animi oblectamenta habuit matrimoniũ Marchionis filii ſui cum filiâ Crequii, nepte Mareſchalli viri magni, verique Galliæ Demetrii. Quippe cujus virtus extremâ etiam ſenectute viruit, quando ætatis anno ſeptuageſimo octavo Lombardiam mirificis terroribus permiſcuit. Præceptorum, quæ juveni huic moriturus dedit, potiſſimum, ac quaſi compendium cæterorum fuit, Regi ut fideliter ſerviret. Regi qui benè ſervit, præcipuam legis partem exſequitur. Nam qui Cæſari ſua non reddit, ei nec Deo debiti officii

ratio

ratio conſtabit. Nobilitati utique Gallicæ nihil aliud majore curâ noctu diuque cogitandum eſt. Quæ hoc illud aurum eſſe credat, quod Lydiæ juventutis auribus appendi olim jubebat oraculum. Nuper Galliæ primorum unus filio ſuo, in ſummâ jam dignitate poſito, regulas quasdam præſcripſit, omnibus, qui in terris honorâ conditione, cœlo tamen inoffenſo, agere cupiunt, perutiles. Ex quibus hæ certiſſimæ mihi eſſe videntur: *Eſto ſubjectus Regi, continuus quoque apud eundem, ſed iis potiſſimùm horis, cùm præſentiam tuam gratam fore putaveris, inclinationes ejus ſcrutare, voluntati te accommoda, & ſumma voluptas ſit tua, illius ſtuduiſſe gratiæ. Exiſtimationem & authoritatem ſi ſumptibus potiùs effuſis quàm virtute & frugalitate comparari putas, erras, aut potius deſipis. In conſortio bonorum frequens, vitioſorum*

rum ac luxuriantium fuge conſvetudinem. Fortunam in aulâ fabricare aut tueri cupienti meliora his præcepta non Academia, non philoſophia, non experientia ipſa ſuppeditaverit.

* Mortuus eſt Villa-Regius anno 1617. quo etiam Jac. Aug. Thuanus mortalitatem ſuam explevit. Vid. Gramond. l. 3. p. 192.

* Cæterùm ſub ipſa penè conventûs Rothomagenſis primordia mors aggredi Villa-Regium cæpit, non ſecurum tamen nec triſtem invenit. Jam enim dudum præparaverat ſe ad illam diem, quæ vitæ noviſſima, æternitatis prima eſt. Porrò & ante ſe mori viderat, quicquid optabilem mortis ſvavitatem turbare poteſt.

Intrepidus itaque & alacer extremam luctam iniit, id quod vel ſolum indicat mentem ad mortem benè diſpoſitam. Non autem ultra duorum dierum noctiumque ſpatium duravit ultimum hoc certamen; nec in moribundo vim ju-

dicii

dicii vel patientiæ robur debilitare potuit, comitante ipſum ſpe, & quâdam quaſi prælibatione vitæ ſempiternæ, magno pietatis indicio, quam totâ vitâ religiosè coluerat. Cadaver ejus cùm apertum eſſet, ut funebribus condimentis imbutum ad paternum ſepulchrũ, quod Manii erat, deduceretur, exſangve prorſus inventum eſt, ut ipſas planè extremas etiam ſangvinis ſui guttas miniſteriis publicis videatur impendiſſe.

Rex cognitâ ejus morte, verbis tali & Principe, & Miniſtro dignis animum non dolentem modò, ſed & memorem eorum, quæ moriturus ipſi commendarat, oſtendit. Multùm perdit Princeps, qui Miniſtrũ veterẽ, & conſilia ſine affectu, verum citra aſſentationem dicere ſolitum, perdit. Et regimen ejus benè firmatum eſſe oportet, ut ja-

ꝺuram talis viri negotia publica non ſentiant.

Porrò autem, ſimul ut expiraverat Villa-Regius, Cancellarius, Cuſtos ſigillorum, & Præſes Janinus, amicitiam mortis & ſepulchri limites tranſire, memores, dixêre Regi, amorem, quo defunctum proſecutus ſit, non melius, quàm in defuncti proximis juvãdis, monſtrari poſſe. Nec moratus Rex illicò Halincurtio, filio defuncti, indicari juſſit, qualis ipſi pater fuerit Villa-Regius, talem ſe eidem fore Dominum.

Sed evidentiſſimè omnium Regis affectum literæ ejus 13. Dec. qui primus à morte dies fuit, ſcriptæ loquuntur, in quibus inter alia: *Jactura hæc ſingularem in modũ me tangit, ob merita viri, quæ gratus agnoſco, quippe qui tot occaſionibus non modo fidem ejus, affectumq;, ſed & longiſſimæ experientiæ effe-*

effecta expertus, didicerim, quam is utilis & neceſſarius mihi eſſet.

Nullum miniſterium tàm grande eſt, quod verbis iſtis non comprehendatur, neque ullum unquã dignius elogium ſepulchro ipſius inſcribi poſſet.

Superflua dicere in iſtiusmodi diſſertationibus, viri imprudentis fuerit, neceſſaria omittere, prævaricatoris. Mihi utrumque vitium objici meritò poſſet, ſi addere hoc negligerem, quod Rex, eodem erga defunctum ductus affectu, Duci Vendaturio & Desdigverio Mareſchalco injunxit, ut litem, quæ inter filium defuncti Halicourtium & Sant-Aumontium agitaretur, componerent.

Lites ejusmodi Procerum animos populorum, etſi alioquin in Regis obſequio & patriæ amore conſtantes, in ſtudia contraria ſcin-

dunt. Quâ ſuper re quidam ex Juſtitiæ Præſidibus pulchro & in animis benè natis efficaci ſermone diſſéruit, oſtendere nimirum cupiens, ſubditis in ejusmodi diſſenſionibus privata commoda ſua non propriâ libidine, malo in talibus Judice, ſed utilitate Regiâ & publica neceſſitate metienda, omnia deniq; ad quietem referenda eſſe conſilia, cùm diſſidia ejusmodi plerumque in ſeditiones deſinant.

Villa-Regii uti nomen celeberrimum ubique, ita memoria ſemper venerabilis erit. Romæ Cardinales nonniſi Principum mortualibus ſacris intereſſe ſolent. Supplicationes pro Villa-Regio, doctamque laudationem funebrem, in S. Ludovici æde, à Patre Jeſuitâ habitam, quinque Cardinales audivêre, Bevilaqua, Vicentius, Bonzius, Ubaldinus, Urſinus. Adfué-

re

re ibidem Itali Principes utriusque ſexûs, adfuêre alii plurimi ex Gallis, vel Galliæ faventibus, curante extrema iſta Archiepiſcopo Lugdunenſi, optimo & Miniſtro Regis, & Miniſtrorum Regiorum æſtimatore.

Habes, en Lector, quæ de vitâ Villa-Regii, meritis ejus excitus, annotare volui. Debui ejus in me benevolentiæ hoc officium, quam ſatis oſtendit benignâ æſtimatione ſcriptorum meorum. Nam & Henrico Magno commendare ea dignatus eſt, & eadem non inſpicere ſolùm, quod quivis poteſt, ſed corrigere ſolitus eſt, quod nemo melius illo poterat. Et tum utique expertus ſum, quàm mirificè jucundum ſit magno, ſinceroque judicio ſubjeciſſe opus ſuum. Nam ſi approbatur, non eſt, quod aliorum amplius ſententias moremur, ſin minus, acuitur limæ &

 emen-

emendationis curâ. Mihi hoc magis, quàm illud ambîtum eſt. Nam pergratum eſt quidem, placere, ſed corrigi, utilius. Ego grati in illum animi tale extare monumentum volui. Quia ingrati eſſe exiſtimo, quæ acceperis beneficia, paucis memorare.

Regi equidem non deerunt, qui Villa-Regii locum impleant, & in producendis ingeniis non diſſimilis Gallia illi aureo Sibyllæ ramo eſt, qui ubi folium perdidit, illicò protrudit aliud. Interim multo tempore opus eſt ad efficiendum tantæ experientiæ virum, & cui præterea alii continget, quod huic contigit, ut ſub Magni Henrici diſciplinâ eſſet, videretque proponentem hunc Principem, quæ exequi vellet, tum & exequentem, quæ propoſuiſſet? Quæ primis Regis noſtri auſpiciis in Regno viguit felicitas,

citas, prudentiæ adhuc & Magnanimitati Henrici magnam partem debebatur. Is enim tranquillis etiã rebus præſenſit, unde ſurrectura eſſet tempeſtas, & ne ſurgeret, vel noceret, providit. Si ejusdem Regis conſilia præceptaque diutius valuiſſent, diuturnior quoque regni fuerat tranquillitas.

Qui tempora atque eventus rerum penitiùs introſpiciunt, conſilia magni iſtius Regis Athenarum cœlo comparant, quod ita temperatum ac lene eſt, ut huic qui aſſveviſſent, nusquam alibi ejus deſiderium extingvere poſſent. Jactura boni Miniſtri non eſt facilè reparabilis. Seculis integris opus eſt, ut Villa-Regii naſcantur. Auguſtus duos ejusmodi perdidit, quibus pares inter tot myriades hominum, in tàm latè patente imperio,

rio, reperire non potuit. Legiones ſuas modò cæſas, modò reſtitutas audiebat. Quo mari claſſes abſorptæ fuerant, eodem mox aliæ triumphavêre. Ædes ex ipſis ſubinde ruinis, & plerumque meliores ſurgebant: Sed Agrippam & Mecænatem omni vitæ tempore deſideravit, neque reperit, qui locum illorum dignè impleret.

Unus tamen fortè modus ſupereſt ejusmodi jacturas ſarciendi. Cùm nimirū talium virorum conſiliis inſiſtitur, & regulæ obſervantur, quibus longa experientia certiſſimarum veritatum autoritatem conciliavit. Multùm boni optat publico, qui optat, ut Villa-Regius, qui corpore jam præſens negotiis adeſſe non poteſt, adſit judicio. Atque inprimis, ut ſalubre illud viri conſilium inveniat

niat locum, quod Dominis ſuis dare ſolebat, cùm venienti eminus tempeſtati obviam eundum, neque modicos etiam errores negligendos ſvaderet, ne iis majores attraherentur. Prima exempla Juſtitiæ, omnium optimi vindictæ publicæ ictûs ſunt. Atque in autoribus ſeditionum extingvitur plerumque ſeditio. Phalaridis ſummi Tyranni unum inprimis juſtum facinus celebratur, quòd tauro æneo primò omnium inventorem ejus incluſit. Sed ne longiùs morer, qui penè meras propoſiti exceſſiſſe videor: Unum hoc egregiam liberamque diſſertationem Rothomagi ſub initium conventûs editam ſecutus, adjiciam: Villa-Regium primum fuiſſe negotiorum ſtatûs caput ac Ducem, fuiſſe prudentiæ ſapientiæque miraculũ, fuiſſe Sphæram, ex qua tot bellæ

animæ deſcendêre, quæ nunc Regiis mandatis excipiendis invigilant. Uno verbo Archimedem fuiſſe, à quo univerſæ Europæ motus dependêre: & quemadmodum Archimedes figuris ſuis, ita noſter hic grandibus, altisq; cogitatis ad gloriam Regni hujus, confuſionumq; emendationem tendentibus immortuus eſt.

QUEM OMNES SUSPICIANT, QUEMQUE SEQUANTUR, HABENT.

Benigno Lectori Salutem JOACHIMUS PASTORIUS.

SCripta aliena vertere ſæpè publicæ rei non minus utile eſt, quàm edere ſua: etſi vulgi judicio nonniſi ii libris transferendis impendere operam videntur, qui ſcribendis non ſufficiant. Proinde, ſi horum calculo ſtandum ſit, parùm aut nihil laudis labor ejusmodi meruerit. Sed ut in æquiores etiam cenſores is incidat, vix tamen unquam gloriæ aſſequitur tantum, quantum habet difficultatis. Vix enim ullus Autor tam perſpicuus eſt, ut mens ejus ſine negotio ubiq; intelligi, nedum exprimi poſſit. Et quælibet lingva ſuas, ut proprietates, ita elegantias habet, quas haud temerè capit, niſi cui ea ſit vernacula. Quædam etiam, etſi ê medio fluxêre Latio, ægrè tamen, nec ſine luctâ, habitum Romanum induunt. In quibus meo judicio Gallica eſt. Quam gens ſua magno ſtudio ex-

cipis, opuſculum inter minima ejus eſt; impensè tamen, cum genio Authoris, tum argumento, omnibus, qui inſpexêre, jam dudum placuit. Vir magnus enim fuit is, cujus hic virtutes deſcribit Hiſtoricus, vitam ejus ita percurrens, ut omnibus ſummorum Principum Miniſtris Conſiliorumq; rectoribus injiciat imitãdi ardorem: ſed & ſcopulos ſimul oſtendat, qui ſequi volentibus vitandi ſint. Cæterùm cum primariò iſta Gallis ſuis ſcriberet Autor, quibus magnam partem nota eſſent, quæ vel egiſſet vel paſſus eſſet Villa-Regius, ideò actiones ejus nonnullas non tam explicat, quàm tangit. Atque inde alicubi Delium, ut ajunt, natatorem videtur requirere. Si cui Memorias *ipſius Villa-Regii contigerit legere, ei plurima inde lux ad omnem poſtremorum Galliæ Regum hiſtoriam, & hunc ſimul libellum intelligendum fulgebit. Sed ut illis etiam, qui*

La-

BIBLIOTECA